

R. K. 513, 2/2.  
B. N. II 404.

(X 187 7333)

II R  
303

fr. 75, 20.

HERMANNI CONRINGII

DISSERTATIO

AD LEGEM I

CODICIS THEODOSIANI

DE

STVDIIS LIBERALIBVS VRBIS

ROMÆ ET CONSTANTI-

NOPOLIS.



BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE (STALE)

HELMESTADII

Excudebat HENNINGVS MULLERVS

ACAD. IVLIAE TYPOGRAPH.

CIC IO C LV.





HERMANN COHEN  
DISSELTATIO

AD THEOPHILUM  
COPICUS THEODOSIANUS  
DE  
SANDIUS LIBERTARIUS  
ROMAE ET CONSTANTINAE  
NOTIOLIS

HERMANN  
COHEN

HERMANN COHEN  
Exhibetur H. N. N. G. V. S. M. V. I. I. S.  
Ad. L. V. I. A. L. T. Y. P. O. G. R. A. M.

CIC-13-2-11

J



p  
l  
v  
&  
o





*Magnifico Nobilissimo Amplissimo &  
Consultissimo Viro,*

**J O A N N I Schwarzkopff JCTO**

Serenissimi Brunf. & Lyneburgensium Ducis

**A V G V S T I**

Consiliario præcipuo & Cancellario,  
hæreditario in Lütken Bahlberg /

*Amico suo magno*

S. P. D.

*HERMAN. CONRINGIVS.*



Væ sub initium hujus anni,  
magistratum Academicum  
depositurus, disserui inter-  
pretatus legem primam Codicis  
Theodosiani de Studiis liberalibus  
V. R. & C. ea nonnihil recensita,  
& nova interpretatione politica,  
quam addere tum tempore prohi-

):( 2

bebar



bebar, aucta & exculta, in tuum no-  
men edere audeo, Vir magne: non  
tam veteris necessitudinis fiducia,  
quam quod unus præ multis & pos-  
sis hæc recte judicare, & velis adver-  
sus indoctos atque improbos de-  
fendere. Eximia videlicet res qui-  
dem est vera & non fucata juris phi-  
losophia, nec ejus peritiam non plu-  
rimi venditant, at paucis oppido  
datum est vel ejus imaginem animo  
comprehendere; imo si vel eminus il-  
lam ostendas, parum abest quin non-  
nulli insolenter excandescant. Inter-  
est vero publice, contempta isthac  
iracundia, intrepide philosophiam  
illam



illam & docere & tueri: utpote cum  
una illa idonea sit rempublicam  
quamvis commodis Legibus com-  
ponere, five quæ novæ sint feren-  
dæ, five corrigendæ veteres; quo  
nihil in vita quidem civili est uti-  
lius. Neque vero ad id præstandum  
fatis est, vel Romanorum, vel alia-  
rum instituta gentium memoria  
comprehendere, ac habere in nu-  
merato: (quamvis illa peritia iis lo-  
cis ubi vim legis habent foro cumu-  
late satisfaciat, nec parum condu-  
cat ad τὴν νομοθεσίαν) sed necessum  
cum primis est naturam omnis gene-  
ris rerumpublicarum tenere, quid  
speci-



speciei cuivis conducatur, quid speciei  
cuivis noxium, idque non publice  
duntaxat sed privatim etiam, quum  
& privati mores rempublicam tra-  
hant in partem. Hanc philosophi-  
am præter omnem expectationem à  
Serenissimis Principibus meis iussus  
docere, sperno equidem Thabori-  
cas nœnias: quo tamen operæ major  
fit fructus, tuo tuique similibus  
longe præclarissimo exemplo ad ex-  
celsos conatus excitandi sunt iuue-  
num animi, & muniendi adversus  
vim sinistrae abjectæque opinionis.  
Quamvis igitur leve sit quod jam  
publico, quoniam tamen ex illo  
multis



multis in viso politico p̄nu pr̄ter  
vulgi morem est depromptum, non  
denegabis illi favoris tui auram, quo  
tanta commendatione fit tutius à  
malevolorum morfibus. Scio vero  
ipsum quoq; argumentum disserta-  
tionis tibi fore acceptum: utpote  
quæ agat de maximi Cæsaris Valen-  
tiniani Lege quadam Academica:  
quales tu, pro ea qua vales juris pru-  
dentia solida ac vera, inq; rem Aca-  
demicam propensione, Iuliæ nostræ  
suggessisti haud paucas, in omnem  
posteritatem utilissimas. Vale Vir  
& Amice magne bono publico.  
Helmestadii in Academia Iulia? cio  
10 c LV. viii. Eid. Iul.



## ADDENDA.

P. 25. l. 10: De eodem Germano Constantius: *Vt in eum perfectio literarum plena conflueret, post auditoria Gallicana, intra Urbem Romam Iuris scientiam plenitudine perfectionis adjecit.*

## EMENDANDA.

Pag. 28. l. 8. *Vlpiani aetate.* P. 45. l. 6. *amphitheatralia.* p. 52. l. 10. *circa omnes.* p. 64. l. 14. *ipforummet.* p. 74. l. 11. *sit socium.*



HERMANNI CONRINGII  
DISSERTATIO

*Ad L. I. Codic. Theodos.*

*De*

STVDIIS LIBERALIB. VRB. ROMÆ  
ET CONSTANTINOP.



Votiescunque ex hoc loco, magistratum Academicum sive aditurus sive positurus, verba feci, plærumque differui de iis quæ ad Academicas res pertinent. Ne quidem ab illo instituto recessi, cum ante hosce sex menses munus hoc quartum aggrederer: eoque ne nunc quidem mutabo quidquam. Quoniam tamen & ipse hic discessus meus, & quæ hodie est aëris inclementia jubent paucis me defungi, continebo sermonem intra angustos limites: atque adeo non nisi unicam legem, quæ de studiorum liberalium Urbis Romæ sectatoribus, Valentiniani Valentis & Gratiani Augustorum nomine, quarto post natum Christum

A

stum



stum seculo promulgata est, ex Codice Theodosiano repetitam, boni publici gratia sum explicaturus. Necvero illam in Codicem Justinianicum Tribonianus cum asseclis transtulerunt, quod forte mecum miremini. Imo nihil quod isthuc faciat in omni illo nostro sacro Juris Codice reperire est; quamvis & Tribonianus vir fuerit studiis liberalibus apprimè addictus, & illius in conficiendo Codice isthoc adiutores, partim ex Constantinopolitana partim ex Berytensi, Romani juris celeberrimis tum scholis, prodierint. Ea tamen est res, qua de agit lex isthæc, (ceu ipsi mecum paulo post scio judicabitis) ut prudens legislator ne utiquam contemnere aut negligenter curare eam, siue velit siue possit.

Habetur autem illa Lex, quod ante dixi, in illo Codice, qui à Cæsare Theodosio secundo, cujus auctoritate anno Dn. CDXXXIIX est promulgatus, Theodosianus vulgo dicitur. Etsi hodie is amplius haud integer totus sed tantum potiore parte, idq; demum cura Ioannis Tilij & Jacobi Cujacij, summorum sane virorum, reperiatur:

pro



pro libris quinque prioribus superstitie Epi-  
tome duntaxat illa, quam Alarici, Gotho-  
rum Regis, Galliae Aquitanicae & Hispaniae  
tum imperantis, jussu publicavit quondam vir  
Spectabilis Anianus, frustra in his quoque ger-  
manis inveniendis summam industriam com-  
plures annos adhibente Jacobo Gothofredo,  
Ictorum elegantissimorum nostrae aetatis nu-  
per principe. Et quidem habetur Lex loco pri-  
mo in Titulo *de studiis liberalibus Urbis Romae  
& Constantinopoleos*, qui est nonus libri decimi-  
quarti: adeoque peti potest non ex Anianea illa  
epitome, sed ipso Theodosiano codice, post-  
quam ultimos octo libros Codicis istius pu-  
blicavit ante hosce centum amplius annos  
Ioannes Tilius, Meldensem post Episcopatum  
virtute sua & praecclaris in patriam & omnem  
rem literariam meritis, consequutus.

Ut *Ἰννερωφὴν* porro praese fert, rescripta  
est lex illa ab Imperatoribus, Valentiniano  
Valente & Gratiano Augustis. Ab uno ta-  
men Valentiniano id nominis primo merito  
illam dixeris profectam; quum ad illum uni-



ce spectarint ea tempestate res Urbis Romæ adeoque & hæc de quibus hæc lex agit. Huic uni etiam proxime Urbis omnia paruerint. Nec vero est quare quem turbent reliqua bina Cæsarum nomina; utpote quum, ex instituto illius reipubl., omnes leges quæ à Cæsarum singulis promulgabantur, omnium tamen nomina præ se ferrent in signum communis Imperij. Sed & reapse summa Imperij erat penes unum Valentinianum, tametsi is (raro exemplo) in consortium titulorum fratrem Valentem & filium Gratianum assumpsisset. Raro inquam exemplo. Bene enim Ammianus Marcellinus l. xxvii cap. 14 de Gratiano Augusto declarato cum disseruisset: *In hoc negotio inquit Valentinianus morem institutum antiquitus supergressus, non Cæsares sed Augustos germanum nuncupavit & filium. Benevole satis. Nec enim quisquam antehac adscivit sibi pari potestate collegam præter Principem Marcum, qui Verum adoptivum fratrem absq; diminutione aliqua majestatis Imperatorie socium creavit. At vero Gratianus ne adleverat tum quidē, & Valentem ut Ammianus*

idem



idem loquitur l. xxvi c. 5. *participem quidem legitimum potestatis, sed in modum apparitoris moderigerum* habuit Valentinianus. Possit forte videri Constitutio hæc ideo à non uno esse Cæsare profecta, quoniam non singulari numero, sed plurali verba Constitutionis sunt concepta. At vero hoc etiam indicium non adeo est certum. Etsi enim primi Cæsares, si socio Imperij carerent, sic satis diu singulari numero edicta sua promulgaverint: quomodo Antoninus l. i. C. de juris & facti ignor. dixit: *Permitto tibi defensionibus uti*: Attamen Constantinus Magnus de se uno locutus jam numerum pluralem usurpaverat, ut passim in Codice observare est, & dudum notavit Guidus Pancirollus Juris ille Romani longe peritissimus l. i. Variar. lection. utr. Jur. c. 2. Fatemur tamen etiam ideo pluralem numerum in hac Constitutione adhibitum, quoniam non unus Augusti nomine illa est edita. Imo fortassis propter societatem illam Imperij, quæ quam maxime orsa est cum Diocletiano & Maximiano, coepit primum in Divalibus Constitutioni-



bus pluralis numerus usurpari, exemplum illud  
sequentibus ijs etiam qui solitarij imperabant.

Missã porro Constitutio illa Divalis ( lo-  
 quor ex more illius ævi ) aut directã est, ut ha-  
 bet inscriptio, ad Olybrium Præfectum  
 Urbis, virum ea ætate inter primos longe ce-  
 leberrimum: ad quem ejusdem Valentiniani  
 Cæsaris leges aliæ complures, non in Theodo-  
 siano duntaxat, sed etiam Justiniano Codice  
 hodieque superant. Quantum ex Ammiano  
 Marcellino scriptore *συγγεγραμ* & curioso disci-  
 mus, successit ille in Urbis Præfectura Prætex-  
 tato, & successorem nactus est Ampelium &  
 post Claudium. Hoc scilicet ordine, Valen-  
 tiniano Imperante, jam tum ad Olybrium usq;  
 gesserant munus illud amplissimum, ceu col-  
 ligimus ex illius Ammiani varijs narrationi-  
 bus, quæ l. 26. & 27. habentur: Apronianus à  
 Juliano constitutus, Symmachus, Lampridius,  
 Viventius, Prætextatus. Quod notasse non  
 caret fructu, ad recte digerenda Constitutio-  
 num Augustalium tempora. Cæterum Oly-  
 brius is est, quo Præfecto Urbi & diutius ægro-  
 tante



tante, Maximinum annonæ Urbicæ curatorem  
immaniter sævijffe in fontes, prolixè conque-  
ritur Marcellinus l. xxix, Olybrium ipsum hi-  
sce verbis denique cap. 19 posteritati depin-  
gens. *Olybrij præfectura tranquilla nimis & le-  
nis. Qui numquam ab humanitatis statu dejectus,  
solicitus erat & anxius, ne quod usquam factum  
ejus asperum inveniretur aut dictum: calumnia-  
rum acerrimus insectator, fisci lucra unde po-  
terat circumcidens; justorumq; distinctor & arbi-  
ter plenus: in subjectis admodum temperatus. Sed  
obnubilabat hæc omnia vitium parum quidem no-  
cens rei communi, sed in alto judice maculosum,  
quod ceteriorem vitam pene omnem, vergentem  
in luxum, per argumenta scenica amoresq; perege-  
rat, nec vetitos nec incestos.* Ab hoc plane  
alius est Olybrius ille Præfectus, quo curante  
S. Margareta interijt, si credimus Veteri Mar-  
tyrologio, cui in omni illa Margaretae hi-  
storia non ausus est fidere ipsemet Baronius,  
ceu apparet ex ijs quæ ille differit ad Martyro-  
logij Romani diem Julij vicesimum.

Quo anno scripta sit Constitutio, indicat  
ipfas;



ipsa; subscriptum habens Consulatam Valen-  
tiniani & Valentis AUGG. tertium: alterius  
nimirum Romæ alterius Constantinopoli,  
quomodo diviserat Consulatam Constantinus  
Magnus. Erat autem Imperij illorum annus iste  
 3 septimus, à nato Christo juxta æram Dionysia-  
 nam post trecentesium septuagesimus: si  
 sane non fallunt Fasti Consulares. Ne mensẽ  
 quidem aut diẽm latæ Constitutionis eadem  
 subscriptio patitur nos ignorare. Discimus ve-  
 ro inde etiã causã, quare ad Olybrium, qui  
 sextus fuit Urbi Præfectus imperante Valenti-  
 niano, non autem ad Ampelium ejus succes-  
 sorẽ sit exarata: cum tamen Præfectura Vr-  
 bis fere non nisi annua fuerit. Quo nimirum  
 mense lata est illa constitutio, nondum septi-  
 mus Imperij & Præfecturæ annus cœperat,  
 sed fluebat adhuc sextus. Dicemus etiã po-  
 stea, quĩ fuerit factum, ut Olybrio præcipue  
 Præfecto Valentinianus fuerit intentus vitijs  
 Romanæ Urbis emendandis.

Non ad omnes porro liberalium artium  
 scholas, sed ad solam Romanam pertinere  
 hanc



hanc legem, adeoq; non nisi *τοπικὴν* aliquam esse constitutionem, vel ipsius Tituli, cui inserta est, *Ἰνυγαφὴ* satis indicat. Multo maxime vero id liquet ex ipsius Constitutionis verbis. Num Constantinopoli ad exemplum Urbis Romæ idem obtinere debuerit, non satis compertum habeo. Ut nec illud satis est notum, num & illa Vrbs suum habuerit Magistrum census & Censuales, quorum in hac Constitutione fit mentio: quoniam deserit nos hac in re præclarum illud veteris ævi monumentum, quod Notitiam Utriusque Imperij appellamus, non describens ea quæ ad Præfecturam illius Novæ Romæ pertinuerint, forte quod folium libri per ævi injuriam perierit. Per tamen est verosimile, utrobivis parem fuisse rationem, quæ fuit ex Augustorum instituto utriusque Urbis quasi æmulatio. Præfectus sane Vrbi Constantinopolitanæ non minore fuit atque Romanæ dignitate pariter & potestate: quam rem præclare persequitur Guidus Pancirollus l. i. cap. 25 Commentarior. ad Notitiam illam ante laudatam. Sed hæc in parvo sunt discrimine.

B

Reci-



Recitabimus potius ipsam Constitutionem integre, prout edidit Romani Juris peritorum princeps ille Jacobus Cujacius: cum ut & hoc quod modo diximus eo rectius pateat, tum quo majore cum usu vestro Constitutionis illius interpretatio à nobis queat institui. Verba hæc sunt.

*Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus  
AAA. ad Olybrium P. V.*

*Quicumque ad Urbem discendi cupiditate veniunt, primitus ad Magistrum census Provincialium Judicum, à quibus copia est danda veniendi, ejusmodi literas proferant, ut oppida hominum, & natales, & merita expressa teneantur. Deinde ut in primo statim profiteantur introitu, quibus potissimum studiis operam navare proponant. Tertio ut hospitia eorum sollicite Censualium norit Officium, quo ei rei impertiant curam, quam se adseruerint expetisse. Idem immineant Censuales, ut singulorum tales se in conventibus præbeant, quales esse debent qui turpem inhonestamq; famam, & conociationes, (quas proximas putamus esse criminibus) æstiment fugiendas: neve spectacula frequen-*  
tius



tius adeant, aut adpetant vulgo intempestiva con-  
 vivia. Quinetiam tribuimus potestatem, ut si  
 quis de his non ita in Vrbe se gesserit, quemadmo-  
 dum liberalium rerum dignitas poscat, publice ver-  
 beribus adfectus, statimq; navigio superpositus abji-  
 ciatur Vrbe, domumq; redeat. His sane, qui sedu-  
 lo operam professionibus navant, usque ad vicesi-  
 mum ætatis suæ annum Romæ liceat commorari.  
 Post id vero tempus, qui neglexerit sponte remea-  
 re, sollicitudine Præfecturæ etiam impurius ad pa-  
 triam revertatur. Verum ne hæc perfunctorie  
 fortasse curentur, præcelsa Sinceritas tua Officium  
 Censuale commoneat, ut per singulos menses, qui,  
 vel unde veniant, qui ve sint, pro ratione temporis  
 ad Africam, vel ad cæteras provincias remittendi,  
 brevibus comprehendat. His duntaxat exceptis, qui  
 corporatorum sunt oneribus adjuncti. Similes au-  
 tem breves etiam ad scrinia Mansuetudinis nostræ  
 annis singulis dirigantur: quo meritis singulorum  
 institutionibusq; compertis, utrum quandoq; nobis  
 sint necessarii judicemus. Dat. IIII. Id. Mart. Triv.  
 Valentiniano & Valente III. AA. CONSS.

Haftenus Constitutio illa Divalis. Ut ejus  
 B 2 autem



autem sententia omnibus perspicua fiat, tria summa capita in primis videntur attendenda. *Primum* est, circa quos vel de quibus agi aliquid velit Cæsar. *Alterum*, per quos velit isthæc curari. *Tertium*, quid Cæsar & quomodo agendum omne jusserit. Primum caput ad causam materialesive subjectum circa quod: Alterum ad causam efficientem: Tertium ad actum ipsum ejusque formam pertinere dixerimus, si scholasticis Philosophorum vocabulis uti sit animus. Nos ordine singula capita Iustrabimus.

Igitur ut de *PRIMO* dicamus primum, haud difficile patet, versari hanc Legem circa eos qui Romæ studiorum gratia degunt, & quidem circa adventantes, circa commorantes, & denique circa discedentes. Initio sane Legis jam audivimus illa verba: *Quicumq; ad Urbem discendi cupiditate veniunt.* Non multo post agitur, quemadmodum gerere sese deceat, qui ibi studiorum gratia commorantur. Postremo definitur aliquid de tempore omnique ratione ex Urbe discedendi.

In



In memoriam vero heic repetendum est, quod alibi jam tum differuimus, celeberrimam isthac tempestate fuisse Romæ liberalium studiorum scholam. Et vero docuerunt tum in Vrbe Professores, alij quidem ære publico, alij privata quasi opera: priores in Capitolio, alij passim in Vrbe: illi certo numero, hi incerto. Quæ omnia liquido apparent, ex ijs quæ habentur in Constitutione Theodosii & Valentiniani Augustorum, quæ & in Theodosiano pariter & Justiniano Codice, illic tertia hic unica, hodieque reperitur, Titulo eodem de Studiis liberalibus Urbis Romæ & Constantinopolis: modo illam, cum Constantino- poli sit lata & post nostri Valentiniani primi ætatem, liceat ad Romanam quoque Urbem referre, & jam ante Theodosium secundum par fuerit Romanæ scholæ conditio. Quicquid autem hujus sit, jamdudum ante fuisse Romæ Professores liberalium studiorum, alios publicos (ut ita loquar) alios privatos, aliunde notum est & alibi luculente expositum. Si vero illa Theodosii minoris Augusti Con-

B 3

stitutio

In



stitutio ad Urbem Romam & nostræ Legis retro tempora potest referri: utiq; docuere tum in Capitolio à Cæsare constituti, Grammatici Latini decem, Græci totidem; Sophistæ sive Rhetores Latini tres, Græci quinque; Philosophus unus; duo Juris Romani periti. Reliquorum qui intra privatas domos studia exercuerunt, etsi de ijs in Constitutione illa Theodosij nonnulla sanciantur, numerus nunquam definitur; indubie autem tanta in Vrbe fuit longe maximus. Quamvis autem ex varijs Provincijs Romani Imperij etiam aliorum studiorum causa ad Urbem, propter illam copiam optimorum magistrorum, tanquam ad mercatum, undique magno numero juvenes confluxerint indubie: per tamen est verisimile, studiorum Romani juris causa potissimum, longe plurimos illuc profectos esse. Enimvero Grammaticos & Rhetores suos passim omnia meliora Provinciarum non Occidentalis minus quam Orientalis Imperij oppida alebant. Galliarum certe ipso illo tempore *studia fuerunt florentissima*, ut testatur S. Hieronymus.



ronymus. Et vero Galli suo in solo hæc docebantur. De Aratore Patricio extat hoc Senatoris etiam recentius elogium: *Romanum eloquium non suis regionibus invenisti, & ibi te Tulliana lectio disertum reddidit, ubi quondam Gallica lingua resonavit. Ubi sunt, qui literas Latinas Romæ non etiam alibi asserunt esse discendas?* De ejusdem ætatis Belgio Aufonius canit:

*Te clari proceres, te belli exercita proles,  
Æmula te Latia decorat facundia lingua.*

Idem Aufonius Burdigalenses Tholosanos & Narbonenses Professores aliquot etiam carmine ad posteritatem persequutus est. Res omnis est clarissima ex ijs quæ Valens ac Gratianus Imperatores, mortuo jam Valentiniano, Præfecto Prætorio Galliarum, rescripserunt de constituendis per omnem diæcesin, in frequentissimis civitatibus, qui erudiendæ præsideant juventuti, Rhetoribus & Grammaticis Atticæ & Romanæ doctrinæ, quæ hodie leguntur l. xi Codic. Theodos. de Medic. & Professoribus. In Africa Carthago omnis generis studijs itidem fuit tum refertissima. S. Augustini dictum est:

*Dua*



*Duae Urbes literarum Latinarum artifices, Roma atq; Carthago. De eadem Salvianus l. 7. de gubern. Illic omnia officiorum publicorum instrumenta, illic artium liberalium scholæ, illic Philosophorum officinæ, cuncta deniq; vel linguarum gymnasia vel morum.* Hæc vero quamvis ita in Provincijs illis sese haberent, in omni tamen Occidentali Imperio fortassis jam tum Romæ duntaxat Juris fuit publica aliqua & celebris disciplina. Et vero Justinianus ea Constitutione qua de Jure Veteri enucleando agit, cum Jura Romana non alibi quam Romæ, Constantinopoli, & Beryti doceri jussisset, affirmat, *jam à retro Principibus ita constitutum fuisse.* Certe jam tum Romam juris discendi causa peti à Provincialibus solitam, non est quod dubitemus. De Palladio disertè in Itinerario suo canit Rutilius:

*Facundus juvenis Gallorum nuper ab arvis*

*Missus, Romani discere jura fori.*

De Aypio suo S. Augustinus l. 6. Confession. cap. 8. scribit: *Non sane relinquens incantatam sibi à parentibus terrenam viam, Romam processerat*



ferat ut jus disceret. Sic & Sidonius Apollina-  
ris l. i. ep. 6. hortatur Eunapium, ut juris dif-  
cendi gratia Romam pergat, *domicilium le-  
gum gymnasium literarum*. Idem serius ad-  
huc esse observatum, palam est ex Errico Al-  
tissiodorensi, qui de S. Germano l. i. ita canit:

*Incitus his animus, talique cupidine raptus,  
Qua caput est orbis terrarum, maxima Roma,  
Tendit iter, Latij nodos addiscere juris.*

*Et didicit, palmamque brevi tulit ille laboris.*

Et quid opus est verbis, quum satis constet,  
præclaros illos Ictos, ex quorum fragmentis  
Pandectæ constructæ sunt, ut & ante hos ab  
aliquot retro seculis clarissimos Jurisconsultos  
quosque, Romæ & vixisse & docuisse? Indu-  
bie vero semper multi jam tum appulerunt  
animum ad Romani juris studia illa, utpote  
quum illæ leges solæ in foro per omnem Roma-  
ni Imperij ambitum, qui utique amplissimus  
erat, obtinuerint, & innumeri pene foro pas-  
sim, per Galliam cum primis, quæ jam olim  
Juvenali audivit *nutricula causidicorum*, ope-  
ram suam locaverint.

C

De



De Primo itaque capite legis nostræ jam tum constat; nempe agere illam de ijs qui peregre adventantes Romæ in Studijs aut vivebant, aut victuri erant, aut vixerant hactenus.

De ALTERO item haud potest esse magna difficultas. Liquidum enim est, præcipi hac constitutione à Cæsare nonnulla Præfecto Urbis; singulatim autem velle Cæsarem, quædam eorum à Magistro census, & Censualibus, aut Officio censuali expediri. Non est vero quod miremur ad Præfectum Urbis direxisse Cæsarem hoc Studiosam juventutem Urbis Romæ attinens Rescriptum. Erat enim illo tempore summa universi Imperij Occidentalis, perinde ut Orientalis, cura post Augustum ipsum penes Præfectos tres; quorum duo Præfecti prætorio audiebant, Italiae alter, alter Galliarum; tertius erat Præfectus Urbis: qui omnes cum paucis alijs Illustres imo Illustrissimi nuncupabantur, quum muneribus & dignitatibus publicis fungentes alij non nisi Spectabilium, alij Clarissimorum, alij Perfectissimorum, deni-



denique nonnulli Eximiorum titulis emine-  
 rent. Hos inter Præfectus Vrbi cum alijs  
 Urbicis rebus, tum etiam iurisdictioni  
 præerat. Idque obtinuerat jam ab Augusti  
 Cæsaris ævo. Hic enim, prout nos docet  
 Dion Cassius, præclarus sane scriptor, l. 25. ex  
 Meccœnatis consilio Vrbi Præfectum creavit  
 (nisi vehementer fallor, quo deprimeret Con-  
 sularem & Prætoriam auctoritatem) qui o-  
 mnes civiles & criminales causas in Urbe, imo  
 & extra Urbem intra quingenta quinquaginta  
 stadia iudicaret, & quod caput dixeris, ut ad eū  
 ex Provincijs appellaretur. Etsi vero illa Præfe-  
 cti iurisdictione extra Urbem multum fuerit sub-  
 inde à Cæsaribus restricta (diserte enim Valens  
 Augustus, modo tamen illa non pertineant ad  
 solum Præfectum Vrbi Constantinopolitanæ,  
 l. 13. Cod. Theodos. de accusationib. Referent,  
 ait, *de suburbanis provinciis iudices ad Præfectu-  
 ram Sedis Urbanae: de cæteris ad Præfectum  
 Prætorio.* Ex Notitia sane Utriusque Imperij,  
 quæ Arcadio & Honorio Cæsaribus conscri-  
 pta est, colligas Picenum suburbicarium iti-  
 dem



dem Præfecto Prætorio Italiae paruisse) etsi  
 item nonnihil diminuta fuerit Præfecti illius  
 auctoritas ipsa in Vrbe circa Senatorum capita,  
 si in iudicium illa traherentur; salva tamen in  
 reliquis manserat adhuc ejus, saltim in Vrbe,  
 iurisdictionio. Eoque tum etiam deportandi  
 fontes potestatem ille habuit, perinde ut ha-  
 buisse illum Vlpiani, ætate constat ex Titulo  
*de officio Præfecti Urbis*. Spectabat ad eundem  
 Spectaculorum disciplina, imo omnes artes  
 sub ejus imperio exercebantur. Id quod o-  
 mne præclare persecutus est ille numquam fa-  
 tis laudandus Ictus Guidus Pancirollus ad  
*Notitiam Imperij Occidentalis* cap. iv. Indubie  
 igitur ejus iurisdictionio omnes quoque peregre  
 adventantes fuerunt subjecti, ac proinde & qui  
 studiorum gratia Romam proficiscebantur  
 merito illi obtemperabant. Nec enim tum  
 obtinuit illa quæ hodie est Academicæ iurif-  
 dictionis ratio: recens quippe hæc est & bene-  
 ficio demum Friderici I Cæsaris introducta.  
 Ab ipsomet sane Iustiniano etiam Constantino-  
 politanæ Urbis, Novæ Romæ scil., Præfecto fre-  
 nandæ



mandæ petulantia Studioforum, quæ tum magna erat, cura commissa est, ceu legitur *l. omnem Cod. de Veteri jure enucleando*. Dissertatione quinta de *Antiquitatib. Academicis* dudum ostendimus, ipsis Athenis Atticis Professores cum Studiofis Proconsuli ex lege paruisse. Igitur quid observari voluerit Cæsar de ijs qui studio- rum causa Romam petierant, optimo sane jure non nisi ad Præfectum Urbi rescribi debuit, ut cui summa omnium ejusmodi rerum curatio compete-  
 bat.

Et vero eidem Præfecto Urbi suberat Magister Censûs, & in Officio (prout tum erat lo-  
 quendi mos,) h. e. in ministerio ejusdem, Cen-  
 suales quoque numerabantur: à quibus Cæsar fieri aliquid circa Studiosos voluit, ceu jam tum audivimus. Diserte sane Auctor Noti-  
 tiæ Utriusque Imperij (qui liber ad intelligen-  
 tiam rerum Imperij Romani, quales seculo  
 quarto & quinto erant, thesauri loco censen-  
 dus est, præsertim postquam illum luculentif-  
 simis commentarijs illustravit Pancirollus)  
 inter quindecim magistratus qui subsunt di-  
 sposi-



positioni Præfecturæ Urbis, post Præfectum  
Annonæ, Præfectum Vigilum, Comitem For-  
marum, Comitem riparum & alvei Tiberis  
& cloacarum, Comitem Portus, sexto loco  
recenset Magistrum Censuum: inter Officiarios  
item ipsius Præfecti duodecimo Censuales.

Unde obiter hoc quoque discere, nisi fallor,  
possemus, si non jam aliunde esset notum;  
Magistrum Censuum multum dignitate præsti-  
tisse Censualibus, in hac porro nostra lege Of-  
ficium Censuale idem esse ac Censuales. Licet  
autem hoc ultimum haud difficulter etiam ex  
ipsa hac nostra lege addiscere. Quum enim  
dixisset lex: *Tertio ut hospitia eorum sollicite Cen-  
sualium norit Officium*, mox subjungitur: *Iidem  
inmineant Censuales*. Ubi videmus Officium  
Censuale etiam Censuales appellari. Sed &  
passim in ipso Justiniano Codice, cum primis  
*libro duodecimo*, etiam *apparitores* dicuntur illi  
qui *in officio* esse affirmantur. Inter appari-  
tores autem Præfecti Urbis non sane Magister  
Census fuit computatus.

Verfabatur autem Magistri Census pariter  
&



& Censualium ordinaria quidem curatio, ut nomen ipsum indicat, circa censum: qua voce tum omnis generis vectigalia ac tributa, tum annotatio publica hominum bonorumque, ex more illius ævi significabatur. Utraque certe significatione & alibi & in Legibus Theodosianis pariter & Justinianeis, vox illa accipitur. Erat autem illius Census sive annotationis, Floro dicente, ea vis, *ut omnia patrimonij, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur.* Unde & Cicero de reipubl. suæ, quam instituit, censoribus l. 3. de legib. ita sanxit: *Censores populi æ vitates, soboles, familias, pecuniamque censent.* Ac Romæ quidem primus Servius Tullus Rex ejusmodi censum egit, vel (ut Græci loquuntur) *ἄπογεγραφή* instituit: in provincijs quo auctore idem ceperit, haud certo dixerim; Augustum Cæsarem per omnem Romanum orbem egisse censum ex singulari curiositate, notissimum est. Et vero duplici de causa census tum acti sunt; primario quidem ut tributa de personis & bonis eo rectius solverentur, secundario autem,

tem,



tem, ut vis omnis Imperij, quæ utique in personis & bonis consistit, imperantibus innotesceret. Certe fini illi posteriori soli interdum census acti sunt. Cujus exemplo est census ille jussu Augusti à Quirinio per Iudæam institutus, quem sacra Natalium Domini historia memorat: nec enim capitatio à Cæsaribus indicta est Judæis ante rerum Archelai confiscationem, ut præclare à viris quibusdam doctissimis est observatum. Certe non nisi ex talibus monumentis Censualibus in unum collatis potuit confici ab Augusto illud *Breviarium Imperij*, quod inter arcana ejus ab obitu repertum memorant Suetonius *cap. ult.* & Dio *l. 56.* Repetendum porro hoc loco etiam est ex ævi illius Romani historia, inter varia sive vectigalium sive tributorum genera, obtinuisse tum & Capitacionem & Portorium. Est autem portorium id de quo Ulpianus *l. inter publ. §. ult. de V. S. Publica vectigalia intelligere debemus, ex quibus vectigal fiscus capit; quale est vectigal portus vel venalium rerum.* Solæ scilicet res venales in portum allatæ aut ex portu educendæ solve



solvebant portorium, quæ vero usus sui causa quisque ferebat à vectigali illo erant immunita: prout liquet ex *l. universi C. de vectigalib. Et com.* Capitatio est id quod idem Vlpianus *l. 3. ff. de Censib.* tributum capitis vocat. Tale quid in ipsa Urbe Roma solvere coacti erant olim illi qui extra classes erant, adeoque non secundum bonorum æstimationem quidquam pendebant, quive quod *nullo aut parvo ære censerentur capitecensi vocabantur*, ut loquitur Julius Paullus apud Gellium *l. 16. Noct. Atticar. cap. 10.* Videtur tamen illud capitis tributum omni plebi Romanæ tandem remissum: quamvis haud dixerim cujus Cæsaris beneficio illud debeatur. Etsi enim Accursius alijque interpretes quam multi Constantino Magno id tribuant, argumento capto ex *l. un. C. de capit. civ. cens. eximendo*, illam tamen constitutionem non ad Præfectum Urbis, quod illi existimabant, sed ad Virum Prætorium ac Præsidem Lyciæ ac Pamphiliæ scriptam, adeoque ad Urbes illarum provinciarum primario pertinere, præclare monuit eximio libello *De Capitatione* Joannes

D

Bapti



Baptista Vicecomes ICTus Mediolanensis. Imo omnium in univ<sup>er</sup>sum provinciarum urbanæ plebi id videntur commune esse voluisse Cæsares, ut recte censet Gvidus Panciollus *l.3. var. lection. in Vtr. Jur. cap. 31.* Quanquam eam fuisse mentem ipsiusmet Constantini haud crediderim, sed post demum existimem ita placuisse: ut diu ante Romæ capitatione omni plebem liberatam, quum nec Alexandria jam Vespasiano imperante ea amplius obtinuerit, quod Vicecomiti quoq; est observatum. Haud dixerim tamen omnes omnino incolas Urbis Romæ à Capitacione fuisse immunes, imo *μετ-οίως* & peregrinos quosque Romæ solviffe illud tributum per est verosimile.

Sed hæc aliena nonnihil sunt ab hoc loco. Ex hisce tamen quæ attulimus videtur manifestum, Valentiniano etiam imperante Censuales illos qui portorio erant intenti potuisse observare omnes Studiosos peregre in portum adventantes: alios item qui à peregrinis Romæ commorantibus capitum vectigal exigebant, simul omnium peregrinorum illorum Studio-  
forum



forum numerum & curam aliquam potuisse habere. Longe facillime vero id fieri ab iisdem potuit, si census omnium prisco more etiam tum fuit actus, atque adeo omnium omnino nomina in tabulas publicas fuerunt curante Magistro census à Censualibus relata: quod per est verosimile, quia alias infinita illa hominum multitudo commode regi non potuit. Et vero propter hoc Magistri census & Censualium munus, videtur mihi ab Imperatore illis potissimum & non alijs fuisse simul injunctam illam circa liberalium artium Studiosos peregrinos curationem. Nos certe munus illud propterea hoc loco non nihil enarravimus, id uti omnibus perspicuum redderetur.

Cæterum de secundo capite Legis nostræ satis forte est dictum pro instituti nostri ratione: ad TERTIUM igitur tandem nunc aggrediemur, quod omnium est potissimum, visuri quid denique circa Studiosos illos agi Cæsar voluerit.

Inter ea autem quæ huc pertinent primo





loco occurrunt duo: utraque (nisi vehementer fallor) ipsimet Magistro census expedienda. Verba Legis hæc sunt: *Quicumq; ad Urbem discendi cupiditate veniunt primitus ad Magistrum census, Provincialium judicum, à quibus copia est danda veniendi, ejusmodi literas proferant, ut oppida hominum & natales & merita expressa teneantur. Deinde ut in primo statim profiteantur introitu, quibus potissimum studiis operam navare velint.* Duo hæc eodem tempore videntur fuisse agenda, adeoque non alibi quam apud ipsum Magistrum Census: utpote quum ad illum saltim literæ illæ testimoniales adferri debuerint, nec alibi nomina Studioforum in tabulas censuales referri. Et vero apud illum etiam aliàs referebantur in tabulas capita omnium peregre adventantium, ceu jam ante diximus; itaque utrumque hoc commode apud illum potuit institui etiam de Studiofis peregrinis.

Cum primis vero observandum venit quod hic innuunt Cæsares, nemini Studioforum ex Provincijs (qua voce pene omne quod extra  
Urbem



Urthem erat censebatur) Romam veniendi facultatem fuisse, nisi Provincialium iudicum venia impetrata. Num in univ<sup>er</sup>sum de omnibus peregre profecturis, aut saltim de omnibus Romam petituris, tale aliquid fuerit in Provincijs constitutum, nondum satis compertum habeo. Videtur interim, non fuisse id adeo omnibus commune, sed de solis ijs qui studiorum causa Romam ibant observatum. Perinde ac eadem pauloque post subsequente tempestate Africani Episcopi per canones caverunt, ne quis Episcopus ex Africa transmarinas terras petat, nisi literis publicis instructus. Canon Africanus vicesimus tertius ita sese habet: *Item ut Episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ sedis Episcopo suæ cujusq; provinciæ: ut ab eo præcipue possint sumere formatam, vel commendationem.* Qui trans mare tum proficiscebantur illi Romam præcipue & Italiam petebant: quo sensu *transmarinæ appellationes* canone xxviii & cxxv nec non *transmarinæ subreptiones* canone cv prohibentur. Quemadmodum autem fas non





fuit Episcopo ulli transmarina petere sine li-  
 teris publicis, ita multo minus *Comitatum* sive  
 aulam Imperatoriam: qua de re extat præcla-  
 rus canon centesimus sextus. Interpres porro  
 Græcus *formatam* passim vertit ἀπολυτικὴν, quem  
 hoc nomine perstringit doctissimus Justellus.  
 Immerito tamen fortassis, utpote cum à *com-  
 mendatitiis* diserte *formatas* literas canon vicesi-  
 mus tertius separaret, & videatur omnino dimif-  
 forijs fuisse opus ad talium itinerum licen-  
 tiam, perinde atque videmus hac Lege vetitum  
 juvenibus Romam petere studiorum causa,  
 non impetrata *veniundi copia* à provinciali-  
 bus judiciibus.

Quicquid hujus sit, id liquet; ad Magi-  
 strum census debuisse Studiosum quemque  
 Romam adventantem adferre testimonium  
 publicum judicis Provincialis (fuere autem illi  
 oppido varij & multi, ) & quidem ejusmodi  
 unde possit constare, primum, quo oppido  
 ille fuerit oriundus, secundo quibus *natalibus*,  
 tertio quibus *meritis*. De primo ut quidquam  
 addamus necessum non est in re clarissima.

Per



Per *merita* intelligi vitæ anteactæ rationem, haud difficulter item patet. *Natalium* denique nomine parentum conditionem significari, videtur vacare dubio. At vero & ipsum nativitatis annum voce illa involvi, atque adeo & hunc fuisse indicandum, palam est ex ijs quæ sequuntur. Decernitur nimirum, vicesimo anno ætatis expleto quemvis in patriam à Præfecto Urbis remittendum: illud autem fieri non potuit, nisi de ætate cujusvis Provinciales iudices fuissent testati. Nec vero est quod quis existimet, fieri illud haud potuisse. Passim enim & Romæ & in omnibus Provincijs tempus nativitatis cujuslibet hominis in tabulas publicas referebatur, idque ex instituto Marci Antonini Imperatoris. Diserte de illo Julius Capitolinus in vita Marci cap. 9: *Inter hæc liberales causas ita munivit, ut primus juberet apud præfectos ærarij Saturni, unumquemq; civium natos liberos profiteri intra tricesimum diem, nomine imposito. Per Provincias tabulariorum publicorum usum instituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud præfectos ærarij,*

*ut*



ut si forte aliquis in Provincia natus causam liberalem diceret, testationes inde ferret. Ejus moris vestigia passim in ipso Justiniano juris corpore supersunt. Hinc sane Natalis Professio, & Tabulae Natales, & Tabulae Professionum, & abscisse Professio memorantur l. non nud. C. de probat. l. statum C. de fid. instrum. l. i. C. si minor. major. se dix. l. cum de etate ff. de probat. Nec aliud est, quod Apulejus in Apologia uxoris aetatem probet tabulis, quae partim tabulario publico partim domo adserventur, patrem enim ejus natam sibi filiam more ceterorum professum esse: quemadmodum praclare ad locum illum Apuleij annotavit illud elegantium Juris Romani peritorum decus Scipio Gentilis n. 877. & ab hoc monitus I. Pricæus Britannus in commentario, qui tamen perperam existimat initium hujus instituti Servio Tullo Regi adscribendum esse.

Post haec vero Judicis Provincialis literas exhibitas debuit porro adolescens apud Magistrum Censu profiteri, quibus potissimum studiis operam navare velit. Indubie vero utrumque, & pri-



& prius scil. illud & posterius, in album aliquod sive matriculam, sive tabulas publicas Magister Censur debuit referre. Alioquin enim nullius fuissent usus cum literarum illa exhibitio tum Studiorum professio. Nec enim potuisset sciri quamdiu quis Romæ debuerit tolerari, aut quo justo tempore in patriam remitti, nec in studia potuisset deinceps recte inquiri. Cæterum apud ipsum quidem Magistrum Censur præter duo hæc nihil agendum fuit tum Studiosis adolescentibus. Nec vero par fuit, viro magnæ dignitatis minutionibus curis molestum esse. Reliqua omnia de quibus mox acturi sumus, vel ad Censuales pertinent vel ad ipsum Præfectum Urbis.

Ex ijs vero quæ Romam venientibus adolescentibus statim circa initia fuerunt agenda, Tertio loco subjungit hæc Cæsar: *Tertio ut hospitium eorum sollicitè Censualium norit officium, quo ei rei impertiant curam quam adseruerint expetiisse.* Censuale officium constabat magno numero eorum qui in Censur negotio ministrabant. Hi cum proxime inservirent Ma-

E

gistro



gistro Censu, potuit adolescentis in tabulas apud Magistrum relati cura ac ratio satis commode ab illis suscipi. His itaque injunctum est ab Imperatore, ut *solicite* nota sibi redderent hospitia Studiosorum; & quidem illum in finem, uti scirent, num Studiosus quisque illis studijs reapse vacaret, quæ sectaturum sese promiserat. Atqui indubie & mutanda interdum fuerunt hospitia, & eligenda alia ab ijs quæ primum placuerant. Debuerunt igitur Censuales inquirere non duntaxat in noviter adventantium sed simpliciter omnium Romæ commorantium peregrinorum hospitia. Certe ita demum licuit assequi id quod Cæsaribus erat propositum. Et vero Censualibus fuisse injunctum, non in illa prima initia tantum sed in omne commorandi tempus animum intendere, ex ijs quæ subsequuntur, est manifestum.

Pergit scil. Lex in hunc modum: *Fidem immineant Censuales, ut singuli eorum tales se in conventibus præbeant, quales esse debent, qui turpem inhonestamque famam, & consociationes (quas*  
*proxi-*





proximas putamus esse criminibus) estimant fugiendas: neve spectacula frequentius adeant, aut appetant vulgo intempestiva convivia. Non multo post injungitur Censualibus, singulis mensibus deferre, unde quique venerint, & quinam (expletis scil. annis suis) sint remittendi. quod posterius fieri non potuit, nisi omni commorationis intervallo Censuales rationem omnium habuissent.

Notari vero unice merentur illa, quæ ab adolescentibus Studiosis observari Cæsares voluerunt. *Primum* attinet conventus, *Alterum* spectacula, *Tertium* denique vulgi intempestiva convivia. *Conventus* voce fortassis intelligenda venit contracta unum in locum populi Romani major aliqua multitudo ac frequentia: quales reipubl. cum primis judiciorum causa, interdum à Magistratibus indicbantur: aliæ etiam coibant in ferijs & ludis solemnibus, ut aliæ in Ecclesijs Christianorum, quæ ipsæ solent scriptoribus ejus seculi conventicula appellari. Ejusmodi conventus gravitate morum & virtute bene componi, postulabat



stulabat utiq; & res ipsa & Urbis Regnatricis  
maximorumq; ejus civium dignitas. Voluit  
itaque Cæsar cavere, ne studiosa juvenus,  
(ut solet illa ætas esse avida novarum sibi rerum)  
conventibus ejusmodi sese indubie magno  
numero immistura, per juvenilem petulantiam  
quidquam committeret, quod vel dedeco-  
ri posset esse conventibus vel eos turbare. Quo-  
rum prius fieri potest per ea quæ turpia sunt &  
inhonesta: posterius per confociationes. Et ve-  
ro recte Cæsar *confociationes* criminibus proxi-  
mas judicavit: tumultus enim & turbas exci-  
tant coitiones & factiones illæ juvenum te-  
merariæ, atque adeo perturbant publicam  
tranquillitatem, cujus conservatione nihil  
prius esse debet in quavis republica. Fortassis  
tamen *Conventuum* voce signantur hoc loco  
conventus Studiosorum in ipsis Scholis. Utiq;  
enim & ibi congregantur in unum auditores:  
nec minus ibi quam à publicis Civium Ro-  
manorum Conventibus abesse debet turpitu-  
do morum & omnis factio. Possumus ma-  
xime secure vocem illam accipere de conven-  
tibus



tibus plane omnibus, cum hisce Scholasticorum proprijs, tum alijs Romanorum civium sacris pariter profanisque.

*Spectacula* de quibus loquitur Lex, erant tum temporis varia: cum publica populi, alia circi, alia cavæ five amphithatralia, alia scenæ, ne nunc dicam de odeorum aliorumque locorum ludis: tum privata magis hic, alibi per Urbem, eaque pene numero infinita. Edebanturque tum ipsa illa publica, quæ potissimum Lex respicit, Romæ multo frequentissime, imo tantum non quotidie. Salvianus sane *Circorum ac Theatrorum spectacula l. 6. de*

*gubernat. Dei vocat quotidianas obscenitates.*

Ejusdem verba hæc sunt: *Ecce innumera Christianorum millia in spectaculis quotidie rerum turpium commemorantur, sive potius, commorantur.* Vixit autem Salvianus seculo quinto Christiano: quo tempore dixeris tamen observatas fuisse Leges, quibus spectaculorum celebratio feriatis Christianorum diebus prohibita fuit. Reperiuntur illarum duæ *Tit. de spectaculis*, qui est sextus libri decimi quinti Codicis



Theodosiani. Altera Gratianus Valentinianus & Theodosius Augusti ita sanciverunt: *Illud etiam præmonemus, ne quis in legem nostram, quam dudum tulimus, committat: nullum solis diei, (l. die) populo spectaculo (l. spectacula) præbeat, nec divinam venerationem confecta (l. conficta) solemnitate confundat.* Altera Theodosii minoris & Valentiani III Cæsarum ita sese habet: *Dominico, qui septimana totius primus est dies, & Natale (l. Natali) atq; Epiphaniarum Christi, Paschæ etiam & Quinquagesimæ diebus, quamdiu cælestis lumen lavacri imitantia novam sancti baptismatis lucem vestimenta testantur, quo tempore & commemoratio Apostolicæ passionis, totius Christianitatis magistra, à cunctis jure celebratur, omni Theatrorum atq; Circensium voluptate populis denegata, totæ Christianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupantur.* At vero posterior illa Lex cum scriberet ista Salvianus forte nondum erat promulgata, lata quippe demum Theodosio XI & Valentiniano Coss. h. e. anno æræ Dionysianæ CCCXXV: prior item non multum fortassis fuit observata. Certe  
Africa-



Africani Patres anno CCCXCIX censuerunt Legatione solenni orandos *Cæsares*, ut *Spectacula theatrorum cæterorumque ludorum die dominico vel cæteris religionis Christianæ diebus celeberrimis amoveantur*, maxime quia sancti *Pasche octavarum die populi ad Circum magis quam ad Ecclesiam conveniunt*: quod habetur canone Africano sexagesimo primo. Quicquid vero sit de Salviani ævo, quo tempore Lex nostra condita est, indubie Spectacula fuerunt Romæ quotidiana: utpote quum nulla lege eorum celebritas à quoquam die fuerit jam remota. Et vero ipsa illa tempestate, cum Romæ tum alibi passim in orbe Romano, populus ad insaniam usque spectaculis fuit deditus. Hinc Ammianus Marcellinus l. xxviii perstringens mores Romanorum, quales erant ipso tempore latæ Legis nostræ, de otiosa plebe Romana cap. 25. ait: Hi omnes quod vivunt & vino & tesseriis impendunt, & lustris, & voluptatibus, & spectaculis: eisq; templum & habitaculum & concio & spes omnis Circus est maximus. Similem insaniam provincialium hominum acerrime item insectantur

tur



48 DISSERTATIO AD L. I. CODIC. THEOD.  
tur Salvianus Chrysoftomus alij. Nec sane  
perit illa nisi cum everfione omnium bono-  
rum reipubl. Quare fatetur quidem Salvia-  
nus in multis Gallia & Hispania urbibus desi-  
iffe illa ludicra, sed addit cauffam: quia agi  
jam praemiseria temporis atq; egestate non possunt:  
calamitas enim fisci & mendicitas jam Romani era-  
rij non fuit, ut ubiq; in res nugatorias perditae  
profundantur expense. Lex nostra non inter-  
dixit studiosos juvenes omnibus spectaculis,  
sed tantum voluit, ne spectacula frequentius ad-  
eant, more scil. vulgi Romani, & quum illo-  
rum daretur copia quasi infinita.

Pergit Lex in haec verba: ne adpetant vul-  
go intempeftiva convivia. Videtur autem  
scribendum vulgi convivia. Illa enim tem-  
peftate praeter epulas, quas in tanto luxu finguli  
ditiores Romae indies ferme instituebant infi-  
nitas, erant & publica convivia longe pluri-  
ma, collegiorum, tribuum, corporum, imo  
& totius populi. Et quidem horum ceber-  
rima nonnulla idolorum quondam cultui di-  
cata, sacrificijs quoque jam abolitis, auctorita-  
te ta-



te tamen Cæsarum tolerabantur. Jam tum videlicet Constantinus M. sacrificijs omnibus populum interdixerat, ut Eusebius passim & Theodoretus l.v.c.xx memorant, imo filius ejus & successor Constantius diserte indicat l.2. *Cod. Theodos. de Paganis.* Convivia tamen solemnia demum anno Dionysiano CCCCIIIX Arcadius, Honorius & Theodosius Augusti vetuerunt, ea lege quæ est nonadecima ejusdẽ Codicis Theodosiani *de Paganis.* Qui tamen anno CCCXCIX eadem diserte permiserant lege ejusdem tituli septima decima hisce verbis: *Vt profanos ritus jam salubri lege submovimus, ita festos conventus civium & communem omnium lætitiã non patimur submoverti. Unde absq; ullo sacrificio atq; ulla superstitione damnabili, exhibere populo voluptates secundum veterem consuetudinem, inire etiam festa convivia, si quando exigunt publica vota, decernimus.* Nec vero quidquam effecerunt sua legatione ad Cæsarem Africani Episcopi, sed potius videntur ipsam illã legem elicuisse; utpote quæ Proconsuli Africæ missa est XIII Kal. Septembr. cum ejusdem anni v Kal.

F

Maj.



Maj. decreta fuisset legatio. Episcoporum tamen canon, qui est numero sexagesimus, dignus est quem hoc loco recitemus. Illud etiam (verba sunt canonis) petendum, ut quoniam contra præcepta divina Convivia multis in locis exercentur, quæ ab errore gentili attracta sunt, ita ut nunc a paganis Christiani ad hæc celebranda cogantur, ex qua re temporibus Christianorum Imperatorum persecutio altera fieri occulte videatur: vetari talia jubeant, & de civitatibus, & de possessionibus imposita pœna prohiberi: maxime cum etiam in natalibus beatissimorum martyrum per nonnullas civitates, & in ipsis locis sacris talia committere non reformident. Quibus diebus etiam, quod pudoris est dicere, saltationes sceleratissimas per vicos atque plateas exercent: & matronalis honor, & innumerabilium fœminarum pudor, devote venientium ad sacratissimum diem, injuriis lascivientibus appetatur: ut etiam ipsius sanctæ religionis pene fugiatur accessus. Hactenus Canon. Liqueat autem vel ex hisce Canonis verbis, Convivia illa vere fuisse vulgi convivia, sæpe etiam intempestiva. Verosimile autem est  
tum



tum quoq; celebrari solitas illas epulas publicas in solennibus Cæsarum, etsi ijs olim Christiani abstinerint. De ijs ita Tertullianus Apologet. c. 35. *Grande videlicet officium, focos & thoros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, cateruatim cursitare ad iniurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? Hæcine solemnia dies Principum decent, quæ alios dies non decent? Hujusmodi itaque vulgi convivis non quidem plane interdixit Imperator Studiosos bonarum artium, vetuit tamen illa adpetere, sive quod idem est studiose sectari.*

Horum omnium vero inspectio & cura accurata ut ante dictum, Censualibus commissa est à Cæsare. Talis sane curatio innuitur voce illa *Immineant*. Nec vero illa tempestate obtinebat amplius illa Ciceronis ævo sueta Latine loquendi ratio, sed voces multæ in barbariem erant flexæ, cum significatione tum pronuntiatione immutata. Inspectio





inquam commissa fuit Censualibus. Nec enim data ipsis fuit simul & animadvertendi in fontes facultas: sed si quid observassent minus bene gestum deferre id debuerunt ad Præfectum Urbi. Et vero ad hunc pertinet id quod mox in Lege nostra sequitur.

*Quin etiam (ait Lex) tribuimus potestatem, ut si quis de his non ita in Urbe se gesserit, quemadmodum liberalium rerum dignitas poscat, publice verberibus adfectus, statimque navigio superpositus abjiciatur Urbe, domumque redeat. Verberibus publice afficere fontes, ac deportare licebat & alias Præfecto Urbi, ceu jam tum diximus: hoc novum videtur accessisse, quod tam gravi pæna licuerit in juvenes istos animadvertere, qui non ita in Urbe se gessissent quemadmodum liberalium rerum dignitas poscit. Nec enim propter ejusmodi culpam temere aliquis hactenus vel verberibus publice fuerat adfectus vel ignominiose quasi deportatus, in illa præsertim vivendi licentia quæ tum Romæ obtinebat. Et vero tam severam legem fortassis expressit Cæsari insolens petulantia*

tia



tia multorum Scholastici illius ordinis. Ut solent mali mores acuere leges & novas multas elicere. Sed hanc rem iterum non multo post agitabimus.

Decernit mox Cæsar tempus commorandi in Urbe. *His sane (inquit) qui sedulo operam professionibus navant, usq; ad vicesimum ætatis suæ annum Romæ liceat commorari. Post id vero tempus qui neglexerit sponte remeare, sollicitudine Præfecturæ etiam impurius ad patriam revertatur.* Tempus igitur Romæ commorandi vigesimo ætatis anno à Cæsare definitum est ijs qui gnauiter sua curabant. Licuit nimirum, nisi fallor, ipsum annum vicesimum Romæ in studijs absolvere. A deo benigne scilicet interpretanda arbitror illa verba: *usque ad vicesimum ætatis annum:* quæ fateor accipi etiam possint, quasi & illum annum Romæ degere fuerit vetitum. Apparet vero hinc, minus indulgisse Cæsarem Valentinianum Romanæ iuventuti Scholasticæ, quam olim fecerant Berytensi Cæsares Diocletianus & Maximianus. Extat hodieque illorum rescriptum ad Scho-



lares Arabiæ (sive potius Beryti) Codice de iis qui ætate & professione se excusant in hæc verba: Cum vos adfirmatis liberalibus studiis operam dare, maxime circa juris professionem, consistendo in civitate Berytiorum provinciæ Phœnicia, providendo utilitati publicæ & spei vestræ, decernimus, ut singuli usque ad vicesimum quintum annum ætatis suæ studiis non avocentur. Quinque itaque annos ultra viginti indulserunt illi Cæsares: & videtur placuisse hoc potius Justiniano, ut qui Diocletiani quidem illam constitutionem receperit in Codicem suum non vero hanc Valentiniani, atq; adeo publicum esse voluit omnibus quod non nisi paucis erat rescriptum. At vero Valentinianus Cæsar noster per Præfectum Urbis etiam *invitos* (ita enim videtur legendum pro *impurius*) domum censuit remittendos qui vicesimum ætatis annum expleverant.

Ut quam diligentissime Censuales omnia ipsis injuncta expedirent, jussit porro Imperator singulis mensibus per literas (ipse *breves* vocat voce jam tum recepta) nomina eorum  
qui



qui venerant Romam aut quibus per legem  
 abeundum erat, Præfecto Urbis exhibere. Ver-  
 ba Legis sunt perspicua & explicatione haud in-  
 digent. Ita vero sonant: *Verum ne hæc per-  
 functorie fortasse curentur, Præcelsa Sinceritas  
 tua Officium Censuale commoneat, ut per singu-  
 los menses, qui vel unde veniant, qui ve sint pro  
 ratione temporis ad Africam vel ad cæteras provin-  
 cias remittendi, brevibus comprehendat.* In hisce  
 verbis quod quidem sit obscurum nihil oc-  
 currit, forte tamen mirum cui videatur, ab  
 ipso Imperatore Præfectum Urbis titulo *Præ-  
 celsæ Sinceritatis* honorari. Nihil tamen hic  
 insolitum occurrit. Recte siquidem notavit  
 Guid. Pancirollus l. i. var. lect. in utroque jure  
 c. 4: *Si quis cum Illustri viro, & præcipue Præ-  
 fecto prætorio vel Vrbi loquebatur, vel ad eum  
 scribebat, etiam Princeps ipse, his verbis eum ap-  
 pellabat: Vestra Magnificentia, vel Illustris  
 Magnificentia tua, aut Tua Celsitudo, quo titulo  
 hodie erga eos Principes qui paulo sunt inferiores  
 Regibus utimur; vel Sublimitas tua, sive Magni-  
 tudo,*



84 DISSERTATIO AD L. I. CODIC. THEOD.  
*tudo, vel Eminentia, Græce dicitur ὑπεροχή, quod  
verbum interpres vertit Excellentia tua.*

Ut autem sensus illorum verborum clarif-  
simus est, ita ex aduerso fateor me non capere  
illa quæ sequuntur: *His duntaxat exceptis qui  
corporatorum sunt oneribus adjuncti. Non me  
latet quidem, Corporatos esse qui Corporibus  
accensebantur: & Corporum nomine venif-  
se tum temporis societates quasdam artificum.  
Quamvis haud temere dixerim ad corpora per-  
tinere illos omnes artifices qui l. 2. Cod. Theod. de  
excusationib. artific. recensentur. Corpora enim  
fuerunt publicis obsequiis deputata, ut dicitur No-  
vella tertia Severi Imperat., aut debuerunt servi-  
re solemnibus quos imposuit antiqua solemnitas, ut  
habet l. 4. Codic. Theodos. de privileg. corporator.  
V. R. ex qua ut & tertia & secunda lege unicam  
conflavit Tribonianus. Non est autem verifi-  
mile, illos omnes artifices qui memorantur Cod.  
de excusat. Artific. adeo vili fuisse conditione.  
Sed & pistorum, suariorum, pecuariorum,  
susceptorum vini Corpora fuisse Romæ appa-  
ret ex titul. 3. & 4. lib. XIV Cod. Theodos. & tit. 15.*

¶ 16



§ 16. lib. x. Codicis Justiniani: quorum inter Ar-  
 tifices illos nulla omnino fit mentio. Ut pro-  
 inde neutiquam probare possimus Pancirollum,  
 qui libro de magistratibus municipalibus cætera do-  
 ctissimo Artifices illos corporatis accenset, con-  
 tra mentem præclarissimorum Iuris Romani  
 interpretum aliorum. At vero si corporati quasi  
 mancipēs fuerunt publici, quā fieri potuit ut stu-  
 diosi quidem liberalium artium Romæ pere-  
 grinantes corporatorum oneribus fuerint adjun-  
 cti? An nonnulli Corporatorum filios suos  
 clam in provincias miserunt, indeque provin-  
 cialium titulo Romam reversos studiis liberali-  
 bus fecerunt imbui, & in libertatem per frau-  
 dem vindicari? Sane nonnullos eorum fraudu-  
 lenter ad honores pervenisse, patet ex l. un. Cod. de  
 Pistoribus. Quicumq; (ait Leo Imperator) ex man-  
 cipiis (de Pistoribus autem loquitur) Comitibus hor-  
 reorum dignitatem & officium vel ambitione, vel  
 gratia, vel pecunia, seu quolibet alio modo posthac  
 fuerit adsecutus, exutus dignitate quam contra in-  
 terdictum nostræ Serenitatis adeptus est, ad anti-  
 quum denuo consortium collegiumq; revocetur. Cor-

G

pora-



poratorum certe filii merito Romæ detineri potuerunt *Corporatorum oneribus adjuncti*, et si studiis liberalibus fuissent imbuti, quum conditionem parentum sequi debuerint fervili genere nati. An etiam in poenam commissæ culpæ studiosi nonnulli, ingenui adolescentes, tum adjuncti interdum fuere Corporatis? Apparitoribus quidem Præfecti Urbis minitati sunt olim Honorius & Theodosius Augusti, l. 2. Codice de *Apparitoribus Præfecti Urbis*, hoc modo: *Quicumq; Illustris Urbane sedis apparitor, clandestina fraude pistorem concusserit, accusatus atq; convictus perpetui panificii nexibus addicetur.* Verum illa lex nondum erat tum lata; nec dixerim talibus poenis petulantes etiam studiosos adolescentes tum fuisse obnoxios. Forte verisimilius est, pistoris filia ducta studiosum juvenem in nexum fuisse Corpori illi ex lege 2. Cod. Theodos. de *pistoribus* quæ est Constantii Imperatoris: *Si quis pistoris filiam suo conjugio crediderit esse sociandam, pistrini consortio teneatur obnoxius, & familiae pistoris adnexus oneribus etiam parere cogatur.* Forte par fuit ratio & reliquorum Corporum.

Nihil



Nihil tamen definitio. Imo malo ego hac de re alios audire potius quam ipsemet audiri.

Minus obscuritatis habet clausula legis ultima. Verba hæc sunt: *Similes autem breves etiam ad scrinia Mansuetudinis nostræ annis singulis dirigantur: quo meritis singulorum institutionibusq; compertis, utrum quandoq; nobis sint necessarii, judicemus.* Sensus clarissimus est: Voluit nempe Cæsar, singulis annis non tantum nomina sed etiam quemadmodum quisque sese gessisset eorum qui studiorum curriculum Romæ absolverant, per literas à Præfecto Urbis sibi indicari, & quidem in id quo Imperator ipse resciscat, num quos illorum possit reipublicæ negotiis aliquando admovere.

Nec vero *Mansuetudinis nostræ* voce præter seipsum significare quenquam voluit Valentianus: similem enim in modum loquebantur tum Augusti si quando blandius sese gerebant. Sed & alias in universum de se loquentes Imperatores dicere consueverunt, *Nostra Serenitas, Tranquillitas, Lenitudo, Lenitas, Clementia, Pietas, Mansuetudo, Magnificentia, Nostrum Numen,*





Cœleste oraculum, Sacri affatus, Celsitudo Imperialis, Sublimitas, Excellentia Imperialis, Majestas Imperialis, Nostra aternitas, Perennitas: qua de re, ut solet, eximia nonnulla congeffit ὀχαιείσατ  
Pancirollus l.i. Variar. lection. c. 2.

*Scriniorum* vocem quod attinet, non illa tum temporis notabat duntaxat *arcam in qua scriptura aurea & similia servabantur*, aut aliquid Augustis proprium; quod multi arbitrantur: Sed & *arcas* omnis significabat cum privatas tum publicas quasque: erant vero *arcæ publicæ* præter Augustales illas etiam aliæ complures. Præterea vero vox illa cæpit quoque usurpari de hominum ordine qui *arcas* ejusmodi publicas quasi curabant. Posteriore significatione accipitur passim, cum primis l. i. Cod. de off. P. P. *Africa*, ubi in Officio ejus tribuuntur *Scrinia* decem: quam legem eleganter illustrat idem Pancirollus l. 2 V. L. cap. 188. Imperator hac Lege fancit, ad sua *Scrinia* epistolas illas mittendas esse, non indicans singulatim illud *Scrinium*, ad quod epistolæ erant dirigendæ, quoniam id indubie erat tum omnibus notum. Atque interpretes quidem Iustini  
niani



nianei Iuris nonnulli annotant, quatuor tum fuisse Imperatoris Scrinia, *memoria, libellorum, epistolarum, dispositionum*: at nequaquam est verosimile tam exiguo Scriniorum numero potuisse Cæsarum res componi, cum uni P.P. Africae, rebus diœceseos illius afflictis & angustis, scrinia decem Justinianus assignaverit; atque adeo numerus ille Scriniorum aulicorum videtur nos latere. Non sine causa vero dixeris, ad *Scrinium* epistolarum breves illas, de quibus Lex nostra loquitur, mitti debuisse.

HÆC est, nisi vehementer fallimur, mens Legis illius nostræ. Et vero ea exposita, satis jam officio nostro perfuncti queamus videri. At vero multum adhuc abest, ut sensu illo Legis percepto veram ejusdem prudentiam fimus assecuti. Nec enim qui tali aliqua ratione tenet sensum Legum, eas se opera simul intelligit, num leges convenient reipublicæ nec ne: id quod intelligere grande illud prudentiæ cognomen tum denique promeretur. Etsi enim hac scientia destitutus, secundum leges & controversias decidere, & cavere clientibus, & de jure possis



respondere, idque omne agere prudentia quædam sit & quidem prudentia juris; utpote quum ea mentis nostræ facultas, quæ humanæ vitæ recte consulere idonea est, passim apud omnes prudentiæ titulo audiat, singulatim vero illa quæ id ex præscripto legum præstat, communi omnium consensu prudentia juris usurpetur: longe tamen potius indubie prudentiæ munus est, ipsarummet legum commoda atque incommoda perspicere posse, imo hæc demum mensuram nominis prudentiæ juris adimplet; quod vis ipsa vocis satis indicat. Adeo plena autem Legum cognitio requiritur in illo Politico viro qui ad clavum reipubl., sedens leges illi præscribere ex officio tenetur. Quî enim intelligat, num ferenda sit nova lex, num vetus abroganda, num hujus aliquid corrigendum, nisi usu omni & noxa Legum probe perspecta? Nihil tale jure postules ab iis quorum gloria in prompto est obsequio. Ne judici quidem nefas est isthuc ignorasse, quamvis per *Μείνειαν* quam appellant leges interdum in judiciis sint temperandæ, *Μείνεια* autem absque ejus-



ejusmodi plena notitia esse nequeat. Illa enim moderandarum legum peritia ac potestas supra dignitatem est judicis; munus ἡ νομοθέτης, qualis in republica Rex est, & in universoni omnis quem penes est potestas summa; nec temere communicari iudicibus aut magistratibus potest absque summo reipubl. dispendio; ceu usu ipso docemur, non satis sibi hodie ea in re caventibus passim civitatibus, etsi ipsemet Justinianus longe prudentissime id omne sibi soli tanquam summo Principi in sua republ. olim vindicaverit; qua de re alias accuratius disserendum. Igitur non profecto satis fuerit dedisse in eum modum mentem hujus Legis, si quem in republ. gerenda usum invenire debeat interpretatio nostra. A nobis autem merito hoc forte expectaveris, saltem ratione muneris quo in incluta hac Julia fungimur: utpote quum Politici philosophi sit τὴν νομοθεσίαν omnem novisse, atque adeo latarum legum examen in usum reipubl. posse instituere. Et vero quam hactenus exhibuimus historica quædam duntaxat vel Grammatica (ne quid dissimulemus) interpre-



36      *DISSERTATIO AD L. I. CODIC. THEOD.*  
interpretatio fuit: altera autem illa demum Poli-  
tica est. Quod ipsum non sine singulari qua-  
dam animi voluptate videmus jam etiam ante  
nos agnovisse summum virum & æternum Fri-  
siæ nostræ decus Joachimum Hopperum, nun-  
quam satis laudandi scripti *de vera Jurispruden-  
tia lib. IV. tit. 16. § 23.* quamvis ipse ejusmodi  
interpretationem Legum neutiquam volumine  
isthoc dederit, majori forte isti operi eam re-  
servans, cujus hi libri non nisi præludium ali-  
quod esse debuerunt, quantum ex illorum epi-  
logo colligere est. Agamus igitur etiam quod  
officii ratio exoptulat; saltim paucis, ne proli-  
xa dissertatione moremur tempora aliorum u-  
sibus reipublicæ dedicata.

Verum ante hoc quam agamus, cogimur  
quasi adducere huc nonnulla eorum quæ alibi  
plenius docemus, quo Politica hæc interpreta-  
tio veris certisque principiis suis quasi munia-  
tur. Omnis lex aut jubendo, aut vetando, aut  
permittendo sciscit non nihil de actu aliquo ci-  
vili, perinde atque omnis quæstio & delibera-  
tio politica circa actum aliquem civilem occu-  
patur.



patur. Actus porro, ut in univ<sup>er</sup>sum omnis etiam naturalis, ita & omnis civilis simul causam suam efficientem, materialem & finalem habet quidem: finalis tamen causæ in Legibus rara fit mentio, quod non interfit obsequentium eam scire, imo interfit sæpenumero eam in vulgus ignorari; materialis quoque & efficientis causæ memoria nonnunquam in Lege desideratur, sed non nisi quando aut de iis jam tum liquet, aut lex est imperfecta: perfecta autem est quæ integre determinat omnia quæ ad actum pertinent. In definienda vero causa formali actuum potissimum lex omnis versatur. Hinc jam tum pene sub initium dissertationis hujus observavimus, in ipsa nostra hac Lege primario quidem de Actuum quorundam forma, simul tamen aliquid etiam scitum esse de efficiente causa, quinam scilicet actus illos debeant edere, & de causa materiali circa quas personas nempe aut res (ut omnis materia ejusmodi politica vel est res vel persona) oporteat actus illos exercere; solius causæ finalis nulla omnino facta mentione. Quoniam porro actio in univ<sup>er</sup>sum omnis

H

adeo-



adeoque & civilis speciem formamque suam à fine quidem potissimum, ex parte autem etiam à materia atque effectrice causa consequitur: hinc in examine Legis formam actus alicujus definiens præcipue ad finem sive scopum actus, ex parte tamen etiam ad agentem personam, atque ad id circa quod actus occupatur, est respiciendum. Similiter & effectricis causæ cum principalis tum instrumentalis, (quarum illa in civilibus semper est persona aliqua, hæc modo persona modo res) aptitudo ad materiam, formam actuum, & finem venit exigenda: materiæ vero (quæ in civilibus nunc persona nunc res aliqua est) idoneitas ad effectricem formalem finalemque causam spectanda est, idque non minus in civilibus negotijs adeoque & ipsis Legibus ac deliberationibus, quam promiscue in omnibus quæ naturæ, cum primis autem humano operi, sunt obnoxia. Illa vero aptitudo utriusq; potest accipi ex ijs quæ ad essentiam pertinent; qualia sunt alia quidem communia, alia vero ad societatem civilem solum spectant, atq; adeo proprie sunt πολιτικά; cum illa communia sint



sint partim μεταφυσικά, partim φυσικά, partim etiam ἠθικά, & fiant demum πολιτικά si quando ad negotium aliquod politicum adstringuntur. Finis denique civilium actuum (ut alias quoque) aut est remotus aut proximus; item aut externus aut internus; ut & aut universalis vel particularis. Nec particularis finis recte se habet nisi universali integræ reipublicæ finis conveniat: nec proximus, nisi ille congruat remoto: nec internus, nisi respondeat is externo. Eoque in examine finalis causæ hic ordo semper est observandus. Et vero quæ modo attulimus in omni νομοθεσίᾳ observanda veniunt: cujus portio quasi est latarum legum examinatio politica. Imo observanda illa veniunt in omni deliberatione & tractatione civilium negotiorum: nec aliunde possunt peti idoneæ probationes politicæ, quæ ita institutæ vim habent verarum demonstrationum. Alibi hæc à nobis suoque loco plenius docentur, heic non nisi obiter quasi adferenda fuerunt. Unum adhuc præmonendum est anteaquam ad rem ipsam aggrediamur: Veterum latarum legum examen dif-





ficile esse, propterea quod censura nequeat probe institui, nisi omnibus quæ modo diximus exacte perspectis, harum vero plena cognitio ob antiquitatem & monumentorum defectum vel omnino non vel ægre haberi possit. Et sane hactenus longe est verissimum illud Juliani: *Non omnium quæ à majoribus sunt constituta ratio reddi potest.* Illarum tamen legum antiquarum censura minus est difficilis, si exigantur ad certum aliquem notumque reipubl. statum. Id quod fieri par est, si forte velis in usum præsentem illas transferre, atque adeo ex ævo vetere commodum aliquod remedium tuæ reipublicæ petere. Nec vero prudentis est hominis ejusmodi censura haud instituta admittere in usum alienas leges: sed talis quidem ἀτεχνῶ νομοθεσία (ut scite illam appellat Hopperus) plane indigna est & neutiquam ferenda, cum rerum publicarum varia admodum sit conditio, in tantum quidem, ut uni quod prodest maxime obsit alteri.

VERUM tempus monet, hisce sepositis ad institutum negotium accedere. Et quidem initium faciemus de causa finali Legis, quoniam  
id ex-



id exposcit ratio Examinis, quod nulla ex parte institui recte potest nisi de fine omnia fuerint ante constituta. Quamvis vero ipsa in Lege disertis verbis finis haud indicetur; attamen haud difficulter attendenti ille liquet, cum primis quem proximum appellamus & particularis. Voluit scil. Imperator cavere, ne qui studiorum gratia Romæ ex provincijs commorabantur juvenes, malis moribus ex urbano contagio afficerentur, aut mora diuturniore provinciæ patriæ damno essent; sed uti sibi aliquando forent utiles. Certe omnem istam legem id unice agere, ut studiosi illi juvenes recte sese haberent, in propatulo est. Ut neminem quoque potest latere, voluisse Cæsarem & moribus illorum consultum & proprijs quoque necessitatibus. Ne sane de ultimo dubitemus, ipsa efficiunt verba illa: *Quo meritis singulorum institutionibusq; compertis, utrum quandoq; nobis sint necessarii, judicemus.* Voluisse porro Cæsarem etiam hoc, ne longior peregrinatio provincijs fraudi esset, colligere est ex rescripto illo jam ante recitato Diocletiani & Maxi-



miani Cæsarum ad Scholares Arabiæ, si cūm hac Lege conferatur. Causa nimirum, quare Cæsar vetuerit ultra annum ætatis vicesimum Romæ in literis quem commorari, non alia videtur, præter eam, quæ binos illos Cæsares movit, ut ad vicesimum quintum annum indulserint quidem scholaribus Beryti degere, ulterius tamen commorantes avocari permiserint. Erant nimirum in provincijs munera multa subeunda eaque sæpe peronerosa, cum personalia tum patrimonialia, obtinebatque ut quisque ad patriæ suæ eam operam præstandū etiam invitus posset adigi. Huc enim pertinent severæ leges cum aliæ tum illæ *libro x Codicis titulo 37. 38. 39. 40. § 41.* Illi rei ne fraus fieret obtentu studiorum, iussit Cæsar omnes ab ætatis anno vicesimo remitti in patriam quamvis invitos. Et vero huc forte potissimum spectat illud, ut quisque Romanam veniens apud Censum magistrum oppidum natale, & genus profiteretur: quo scilicet ille patriæ possit reddi justo tempore: *nec enim origine propria poterat quis voluntate sua eximi, filiosq; apud originem patris non in materna civitate, et si ibi*



*ibi nati sint (si modo non domiciliis retinerentur) ad honores seu munera posse compelli, explorati juris erat.*

Cæterum hæc quidem proxime voluisse Cæ-  
sarem Lege isthac sua consequi, manifestum sa-  
tis est. Nondum liquet tamen vel num hunc fi-  
nem recte sibi propositum ille habuerit, vel num  
media quæ adhibuit fuerint paria fini isti asse-  
quendo: quorum prius primo loco inquiren-  
dum est. Ut autem jam ante monuimus, fines ejus-  
modi ad finem ultimum integrumque reipubli-  
cæ æstimandi sunt: eoque attendendum venit,  
quis ille fuerit Imperij Romani, quo tempore  
Lex condita est. Est autem hoc forte incertius.  
Etsi enim status Imperij simpliciter *μοναρχικός*  
fuerit, adeoque indubie salus reipubl. tum fuerit  
in conservatione monarchici talis regiminis  
posita: cum duo tamen sint genera τῆς *μοναρχίας*,  
in quorum utroque bonum quidem spe-  
ctatur commune, at vero in alio dominantium  
commodum primario quæritur & non nisi ex ac-  
cidente pene commodum subditorum, in alio  
vero ex pari dominantium atque parentium  
salus



salus attenditur; non perinde certum est cuiusmodi tum fuerit Romanum Imperium. Multum autē interest cuiusmodi fuerit, cum neutiquam omni ex parte iisdem institutis utraque *μοναρχία* queat conservari. Et vero omnes leges Romanæ in univēsum monarchiæ quam sunt aptissimæ, in cuius duntaxat usum etiam sunt conditæ: cæterum videtur (ut solet) fluctuasse illam rempublicam; & modo communis boni ex æquo, modo dominantium potius rationem habitam. Plurimum sane falluntur qui existimant, omni perinde statui Leges Romanas convenire: id enim omnino est *ἀδύνατον*, & à mente ipsorum Romanorum legislatorum alienissimum, arguitque talis opinio summam Politices vel regendæ reipubl. inscitiam, imo & ignorantiam Romanarum legum. Nec enim id verum est nisi de paucis illis quæ faciunt simpliciter ad usum communem omnium rerumpublicarum: reliquarum & numerus est maximus, & uni illi speciei quam *μοναρχίαν* dicimus congruunt, ad alias rerumpubl. formas translatae illas mutant ac perturbant: interim & illarum



larum aliæ favent magis herili aliæ civili monarchiæ, tanquam respublica duas hæc inter species quasi dubia hæserit. Nec enim omnibus par Cæsaribus animus, quorum hodieque leges in Codicibus supersunt. Multum profecto à Trajani, Hadriani, Antonini Pij, Marci, & Severorum, civili in rempubl. benignitate alij abfuerunt: eoq; vel in gratiam vel augendo dominatui constituta sunt ab ijs haud pauca: quæ nec Justinianus mutavit omnia, sive per incuriã, in illa infinita discordantium legum multitudine recensenda inevitabilem, sive quod nec ipse ab herilibus studijs fuerit alienus, perinde ut primus fere omnium qui Constantinopoli vixere Imperatorum, non tantum nomine sed etiam re ipsa fuit *αυτοκράτωρ*, quod observavit l. 5. Agathias. Cæterum Valentiniani Cæsaris illæ virtutes, quas procul adulatione describit Ammianus Marcellinus sub finem l. 31. (ne de alijs nunc dicam) vetant nos sequius aliquid suspicari. Ut proinde habendus ille sit inter eos quibus persuasum fuit, *Finem justî imperii* (quæ verba ibidem sunt c. 23. Ammiani) *utilitatem obedi-*

I

entium



*entium estimari & salutem*: atque adeo Romani Imperij administratio non tam dominantis commoda quam bonum commune tum spectaverit. Ille imo fuit Cæsar iste, ut haud injuria dixeris, non ampliandæ potentix, non parandis opibus, non vitæ luxuriosæ studuisse tum Rempublicam Romanam, sed veræ felicitati. Quam in virtutis exercitio, cum eorum quæ ad vitæ civilis usum requiruntur justa copia, collocant sapientes: etsi alias non privatim duntaxat sed & publice à magnis civitatibus ea in re peccetur vehementer.

Agite ergo: jam videamus, num quos diximus fuisse proximos fines condendæ Legi nostræ, satis fuerint congrui illi ultimo & summo & communi Imperij Romani atque Legislatoris Cæsaris scopo. Et vero fortassis etiam de eo quis dubitet, num ex re fuerit publica, quod ita promiscue provinciales filios suos liberalibus studijs fecerint imbui, quodque adeo Romæ earum artium fuerit quasi mercatus aliquis constitutus. Nam nonnullis quidem populis olim persuasum fuit, & est hodieque Moschis  
plærif-



plærisque, Tataris, alijsque creditum, doctrinam omnem in publicum noxiam: alij, ut quondam Ægyptij, non nisi paucos & delectos ad studiorum culturam admifere. Verum enimvero nec tempus patitur, nec videtur pretium operæ, nunc quidem vel barbararum gentium improbam illam persuasionem, vel Ægyptiorum illud institutum gravibus argumentis convellere. Nemini enim non constat, nullam societatem civilem vere beatam esse sine sapientiæ studijs, si non illis quæ *θεωρητικὰ* dicimus, saltim absque ijs quæ ad vitam commode agendam ipsamque reipublicæ faciunt administrationem. Ad hæc cum raro eadem sit liberis quæ parentibus indoles, nemo probaverit Ægyptios, qui artes & doctrinam non nisi certis familijs proprias atque adeo quasi hæreditarias esse voluerunt. Certe tantum abest id in artium studiorumque meliorem culturam cessisse, quod Diodorus Siculus *l. 1. c. 47. & l. 2. c. 29.* existimavit, ut nihil illi perinde obstiterit: usu ipso docente, florere artes doctrinamque omnem ibi maxime, ubi naturæ ductui suum arbitrium integrum

I 2 est.



est. Non sine discrimine omnibus patefacien-  
dam ad liberalia studia viam sed solis ijs qui in  
reipubl. usum educantur, quales sunt soli in-  
genui, haud caret iusta ratione. Quur enim ser-  
vus discat quod reipubl. inutile est? At hoc ni-  
hil ad Legem nostram: utpote quum non ser-  
vi sed soli ingenui provinciales Romam illa  
tempestate studiorum gratia petierint. Cæte-  
rum præter hoc delectu aliquo ingeniorum esse  
opus ad justum capiendum ex studijs fructum,  
idque ut alibi passim ita & Romæ fuisse magno  
incommodo neglectum, alibi latius ostendi-  
mus. Nec vero hujus loci est hoc agere. Ne qui-  
dem huc proprie pertinet inquirere, num sa-  
tis prudenter uni Romæ doctrina juris Roma-  
ni in omni Occidentali vasto illo Imperio fu-  
erit commissa. Etsi haud paucis forte rationi-  
bus queat adstrui, neutiquam id fuisse ex usu  
publico, posteaquam jura illa cæperant esse com-  
munia provincijs: utpote quum civium omni-  
um (quales tum non soli Romæ Urbis incolæ  
sed & provinciales habebantur) ex æquo inter-  
sit, leges secundum quas sit vivendum haud igno-  
rare,



rare, debeatq; earum peritia non multum esse  
 difficilis; cuiusmodi redditur si non nisi ex remo-  
 tis locis queat peti atque addisci. Imo vero di-  
 xeris merito Romam non fuisse aptam institu-  
 endæ provincialium juventuti, ob mores disso-  
 lutos & ingentem luxum. Prisci certe Romani  
 ipsi, nondum illa vitæ corruptela invalescente,  
 liberos suos maluerunt in provincijs educari.  
 Nec vero alia de causa, jam tum Strabonis ætate,  
 nobilissimi Romanæ juventutis pro Attica pere-  
 grinatione Massiliam ad capeffendas disciplinas  
 sunt profecti, quod ille narrat l. 4. quoniam sc. *ea*  
*civitas severitatis & patrii moris esset custos acer-*  
*rima, ceu Valerius Maximus loquitur l. II. c. 6.*  
*nullum aditum in scenam mimis dans: quorum ar-*  
*gumentum majori ex parte stuprorum continebat*  
*actus: ne talia spectandi consuetudo etiam imitandi*  
*licentiam sumeret.* Prudenter sane id ipsum de  
 C. Julio Agricola focero suo observavit Corne-  
 lius Tacitus, scribens: *Arcebat eum ab illecebris*  
*peccantium præter ipsius bonã integramq; naturam,*  
*quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum*  
*Massiliam habuerat, locum Græca comitate &*





*provinciali parsimonia mistum, ac bene compositum.* Verum etiam hoc multis ostendere excedit hujus argumenti nostri limites: nec est cur anxie velimus huc congerere illa remota & longinqua.

Illud huic loco proprium est videre, num illa quæ proxime spectasse Cæsarem Lege hæc nostra supra diximus, satis sint publico usui consentanea. Videtur autem etiam illud prope modum iusta carere dubitatione. Si enim ex re est, ut juvenes nonnulli studijs liberalibus incumbant, utique usus etiam publicus postulat ut illi legibus latis ad diligentiam adhibendam, moresque recte componendos constringantur. Certe prius si velis posterius non potes nolle. Interest vero hoc publice, non tantum si civium quæras salutem, verum etiam si dominantibus maxime studeas. Nam & servos habere frugi atque à vitijs alienos, commodum domini est: haberi autem illi tales nequeunt, nisi caveas ne pravo consortio corrumpantur. Eo magis vero danda est opera summæ potestati, ut juvenus studiosa probis mori-



moribus imbuatur, quo magis illa in usum rei-  
publ. educatur. Seminarium videlicet illa est  
eorum qui aliquando fungi debent magistrati-  
bus & judicijs, alijsque rei publ. actibus præesse:  
quos utique omnes virtute par est instructos  
esse, atque adeo ad omnem virtutem probe di-  
ligenterq; educari. Saltem igitur primum illud,  
nempe quod Cæsar voluerit juvenes Romæ stu-  
diorum causa commorantes in officio conti-  
neri, & ne Urbana lascivia perderentur prohibe-  
re, bene sese habet, & Imperij scopo ultimo satis  
est consentaneum.

Par pene ratio videtur esse illius quod tertio  
loco Cæsarem spectasse affirmavimus. In o-  
mni enim republ. & herili pariter & civiliore  
quavis perutile est, ut cives omnes haud sint  
ignoti summæ potestati, quoad fieri ejus licet.  
Nec enim commode illi possunt uibus publi-  
cis adhiberi, si ignoretur quid valeant aut ne-  
queant præstare. Ut autem illi qui digni &  
apti sunt admoveantur muneribus rei publ. cedit  
non minus regentium commodo quam eorum  
qui reguntur, adeoque publice privatimque  
omni-



72 DISSERTATIO AD L. I. CODIC. THEOD.  
omnibus utile est. Scio quidem passim hoc  
ipsum negligi hodie, nec ipsosmet Romanos  
Cæsares omnes perinde in hoc aliquam curam  
impendisse: at non est quare aliorum negligen-  
tia opponi mereatur usui tam manifesto. Cer-  
te huic quoque fini instituisse in Urbe censum  
Servium Tullium Regem, & ab Augusto Cæ-  
sare idem tentatum in provincijs, ac Breviarium  
Imperij confici curatum, manifestum est. Ta-  
le quid ex parte propositum fuisse reipubl. He-  
bræorum in accurata illa populi universi usque  
ad decurias divisione, quam (quod mireris) &  
Ingæ Peruanorum monarchæ observaverunt, ceu  
docet Acoſta l. 6. *Histor. Americanæ* c. 13, haud in-  
juria itidem dixeris. Quin & Ægyptiorum Re-  
ges, dum voluerunt quemvis civium profi-  
teri qua arte vitam sustentaret, idem viden-  
tur agitavisse. Certe & Cæsaribus & stu-  
diosæ juventuti pariter fuisse utile, quod Cæsa-  
res voluerint singulorum nomina & actus sibi  
perſcribi, quo merito singulorum institutionibusq;  
compertis, utrum quandoq; sibi essent necessarij ju-  
dicarent, vix potest à quoquam dubitari. Nec  
vero



vero non etiam diligentiam juvenum excitavit sedula illa Cæsaris inquisitio: præsertim cum per literarum studia quisque ad honores conaretur pervenire, hi vero Cæsareo favore maxime essent impetrandi. Enimvero si & nostro ævo talis Principum inquisitio observaretur, rectius indubie haberent sese artium liberalium studia, & aliorum socordia excuteretur, aliorum compefceretur protervia ac petulantia, aliorum denique industria ad summos præclarosque conatus accenderetur.

Postremo & illud, quod cautum voluit Cæsar, ne scil. peregrinatio juvenum diuturnior & studiorum prætextus provincialium & patriæ civitatis oneribus fraudi foret, publice interfuisse, fortassis haud potest esse occultum. Exigit enim utique salus reipubl. ut necessaria onera quisque pro virili ferat: eoq; legibus quamvis inviti in id sunt adigendi. Prodest etiam non permittere, ut quis pro arbitrato patriæ civitati sese queat subducere: alioquin enim civitas ob infortunium aliquod civibus viduari & brevi ad incitas possit redigi. Crudiusculum videlicet est illud,

K

quod



74      *DISSERTATIO AD L. I. CODIC. THEOD.*  
quod Tryphonianus *l. in bello ff. de capt. & postlim.*  
refert Sabini pronunciatum: *de sua qua civitate*  
*cuiq; constituendi facultas libera est: nisi accipias*  
non de eo quid expediat, sed quid Sabini a vo li-  
cuerit. Quemadmodum Cicero pro Balbo lau-  
dans jus illud, *ne quis in civitate maneat invitus,*  
*fundamentumq; appellans libertatis, sui quemq;*  
*juris & retinendi & dimittendi esse dominum,*  
ut orator quidem est ferendus, non tamen ut  
prudens Politicus. Tantum certe abest id proba-  
ri debere, ut ne societati quidem alij fas sit socio  
renunciare pro lubitu, *si societatis intersit non di-*  
*rimi societatem. Semper enim non id quod privatim*  
*interest unius ex sociis servari solet, sed quod socie-*  
*tati expedit;* ut præclare loquitur Proculus apud  
Paulum *l. Actione ff. pro socio.* Hinc si non ante,  
saltim jam seculo Christiano tertio, quod id-  
ipsum salus publica exigeret, videntur Cæsares  
cavisse, ne quis translato etiam domicilio muni-  
cipij sui muneribus obeundis solveretur:  
quantum colligere est ex verbis Vlpiani *l. i. ff. de*  
*Decurionibus:* & rescripto Alexandri Cæsaris *l. i.*  
*Cod. de municipib.* exinde vero idem strictim est ob-  
serva-



servatum, & plurimis repetitis legibus, quarum affatim habet Codex uterque, confirmatum. Tanto bono, tamque utili in publicum instituto, proinde non debuit quovis studiorum obtentu fraus fieri. An tamen illud discedendi ex Urbe & patriam repetendi tempus debuerit juventuti præfigi, quod Lex nostra præfixit, non multo post inquiremus. Quæ jam diximus hoc loco sufficiunt.

Igitur scopi quidem proximi Legis nostræ bene sese habent. De eo quod materiæ loco est idem probare, ne quidem est necessum; usque adeo id liquidum est. Studiosa nimirum juvenus Romæ peregrinata est illa (si ita loqui licet) materia, circa quam actus omnes, qui Lege mandantur, sunt exercendi. Nemo vero non videt, aptam illam esse quæ scopos istos assequatur, modo per actus idoneos, & ab ijs qui idonej sunt, ducatur. Quidni enim juvenes ita queant educari, uti diligentiam literis impendant bonisque artibus imbuantur? Quid prohibet, quo minus caveatur, ne literarum studia ingenuorum adolescentum fraudi sint mune-



76      DISSERTATIO AD L. I. CODIC. THEOD.  
ribus suæ cujusque patriæ? Quid denique ob-  
stat, quare singulorum in literis & moribus pro-  
fectus Principi significetur? Certe & juvenes  
ipsi ad isthæc omnia sunt idonei: nec possunt  
deesse prudenter instituti actus aut personæ uti-  
les hisce efficiendis. At vero quando materia  
aliqua ita est composita, ut per idoneos actus &  
agentem causam idoneam propositum scopum  
queas assequi, tum utique recte se habet, nec in  
ea quidquam merito desideratur: ceu jam tum  
ante monuimus.

Licet igitur & hunc locum deserere, atque  
ad examen illius normæ quam Lex nostra acti-  
bus ipsis præscribit, id quod potissimum est,  
progredi. Nec vero inefficientem causam rite  
inquirere possumus, nisi hoc præmisso. Vide-  
amus ergo ordine actus omnes; & quidem ma-  
xime, quemadmodum Lex velit illos institui,  
vel quod idem est, qualem actibus illis formam  
Lex præscribat.

Initio igitur jubet Lex, ut quicumq; ad Urbem  
discendi cupiditate veniunt, primitus ad Magi-  
strum census, Provincialium Judicum, a quibus co-  
pia



pia est danda veniendi, ejusmodi literas proferant,  
 ut oppida hominum & natales & merita expressa  
 teneantur. Hec primum occurrit, quod sine Pro-  
 vincialium Judicum venia non licuerit cui-  
 quam Romam studiorum causa proficisci.  
 Jam supra fassi sumus nos latere, num in  
 universum fuerit vetitum, haud impetrata  
 Judicum venia alio migrare. At vero interest  
 reipubl. saltim non cuivis liberum peregrinan-  
 di arbitrium permittere, non certe ijs, qui in  
 republ. valent auctoritate, aut quorum discessu  
 respublica potest in discrimen vocari, sive ne  
 alibi res novas moliantur, sive ne sese reipubl.  
 temere subducant. Hinc sane jam olim edixit  
 Augustus Cæsar, ne quis senator injussu suo ex-  
 tra Italiam peregrinaretur; imo jam ante Cæsar  
 Julius Dictator vetuit, ne quis civis major vi-  
 ginti annis plus triennio abesset Italia, aut Sena-  
 toris filius magistratusque comes peregre pro-  
 ficisceretur venia non impetrata. Ne Episcopi  
 quidem primitivæ Ecclesiæ alij fini formata-  
 rum epistolarum usum introduxerunt. Multis  
 post seculis non semel Anglorum etiã Reges sim-



pliciter vetuerunt, se inconsultis ex Insula migrare. Idem hodie & Moschos & Sinenses observare est notum. Alibi in bene constitutis rebus passim illa arbitraria proficiscendi peregre licentia saltim magnatibus denegatur. Quicquid vero olim, quo tempore lata est Lex nostra, obtinuerit in Romano Imperio, certe quod non nisi Judicum provincialium consensu licuerit juvenibus Romam petere, per fuit utile conservandis provincijs; ne nimirum clanculum juvenes muneribus publicis sese subducerent. Non parum quoque fecit ad morum culturam, ne facinore aliquo perpetrato alibi quis latebras quærens effugeret pœnas, utq; ita illa perpetua patrij judicis reverentia juvenes in officio contineret. Neutrum sane potest commode teneri, nisi illa proficiscendi licentia refrenetur.

Iisdem de causis indubie constitutum est, ut ad Magistrum census literæ Provincialium Judicum perferrentur, quæ & oppida, & natales, & merita adventantium docerent. Et morum scil. cultui hoc profuit, & provincialium munerū exercitio. Neq; vero fraus aliqua temere fieri



fieri potuit annalibus legibus capeffendorum in provincijs munerum, ab ijs etiam qui Romæ procul à patria degebant; quoniam facili negotio quisque potuit domum revocari à magistratu provinciali. Certe à magistratu Romano nemo potuit commode reipubl. caussa in patria oppida justo tempore remitti, nisi per tabulas ejusmodi *natales & oppida* innotuissent. Non minus vero hoc ipsum mores etiam juvit. Nec enim juvenis aliquis flagitiosæ vitæ bene *meritorum* testimonium publicum potuit Romam deferre: atque adeo Romam nemo temere studiorum gratia migravit, nisi perspectæ integritatis. Quantum porro virtutis fuit calcar à Judice Provinciali expectare aut ferre natalium, sæpe nobilium aut alias eximiorum, & cum primis bene actæ vitæ publicas tabulas!

Sciscit deinceps Lex, ut juvenes, *in primo statim introitu profiterentur, quibus potissimum studiis operam navare vellent.* Per autem etiam illud fuit utile, ad juvenes in studijs & officio continendos. Ita sane demum commode potuit in illorum diligentiam inquiri à magistratu.

Et



Et indubie ipsummet ingenuum quemque ac bonæ indolis juvenem puduit, professione illa sese indignum præstare. Certe ipsa illa solemnis *professio* incitamento fuit ad studia professa majore industria sectanda, saltim ijs qui erectiore fuerunt animo. Quin valuit quoq; hoc ipsum ad id, ut potuerint Cæsari à magistratu indicari publicis tabulis, cujuslibet juvenis bene in studijs alijs atq; alijs collocatæ operæ. Certe absque illa professione solemnī, nihil non horum minus recte præstari, ferme in propatulo est.

Ad acuendam juvenum diligentiam & bonos mores cum primis etiam juvit, quod à Cæsare ipsi magistratui publico fuerit injunctum, *solicite* omnino, non perfunctorie, *nota* sibi redere juvenum singulorum *hospitia*. Nam hoc ipso cautum fuit saltim, ne forte locis minus honestis hospitarentur juvenes, atque ita ipsa hospitiorum scabie (ut ita loquar) inficerentur. Potuit vero hoc ipso eo rectius in actus omnes illorum à magistratu inquiri. Imo ipsimet juvenes, conscii quasi, in perpetuo se conspectu vivere



vivere magistratus, neque in ipsis hospitibus posse vitiiis aut socordia latebras inveniri, non potuerunt non ultro, tacti illa reverentia, ad operam studijs dandam magis solito incitari. Hoc sane spectasse Cæsarem, ipsamet indicant illa verba Legis: *quo ei rei impertiant curam, quam adseruerint expetiisse*: quibus utique indicatur, voluisse Cæsarem istac hospitiorum notitia publicam accendere ingenuorum adolescentum studia.

Etiam illud bene habet, quod Cæsar non quidem juvenes interdixit omni *conventu*, ita tamen in *conventibus* sese gerere juvenes jusserit, ceu decet eos qui famam integram sectantur, & omnes consociationes fugiunt: imo quod horum quoque curationem voluerit magistratui esse publicam. Fuere scilicet conventus plurimi honorati atque utiles cum sacri tum profani: quibus interdum misceri, potuit juvenibus in omni vita apprime esse utile: utpote qui saltem exemplo virorum gravium & magnorum, quibus conventus multi constabant, ad præclaros conatus potuerint erigi. In illis vero conventibus

L

tibus



tibus turpe quidquam committi profecto non debuit, aut turpiter commissum tolerari: saltem ne quid dignitati conventuum illorum decederet: quod jam antehac monuimus. Multo minus fas fuit, tale quidpiam committi ab ijs qui animi probe excolendi causa Romam peregre adventaverant, post hac futuri seminarium reipubl. in provincijs & sua cujusque patria. Multo minus tolerari *consociationes* debuerunt, utpote quæ tumultus moverent, & cum illos conventus publicos vehementer turbarent, tum juvenum ferociam incenderent ad pessimæ notæ facinora. Bene enim Cæsar tales *consociationes* dixit *proximas esse criminibus*, ac proinde non multo mitioribus pœnis animadvertendas. Si in juvene vero toleres *criminibus proxima*, perinde est atque si illum invites adultum ad crimina ipsa.

Cæterum de eo quod sequitur in Lege nostra non injuria dubites. Neque enim Cæsar interdixit omnibus *spectaculis* aut quibusdam juvenes, sed tantum jussit: *ne spectacula sæpius adirent*. Jam vero scenica spectacula pene in uni-



universum omnia quid dederunt non spurcum  
 & obscœnum? Quid arenæ exhibuerunt non  
 sævum & crudele? Etsi enim jam Constanti-  
 nus Magnus cruenta gladiatorum spectacula  
 removisset, ea lege quæ hodieque legitur *Cod.*  
*Theodos. & Justiniano tit. de gladiatoribus*, arena-  
 riorum tamen cum bestiis pugnæ & commis-  
 siones non desierunt nisi cum Occidentalis Im-  
 perij excidio. Hinc suo adhuc ævo in specta-  
 cula illa hisce verbis invectus est *l. 6. de gubern.*  
*Dei Salvianus*: *Nihil ferme vel criminum vel*  
*flagitiorum est quod in spectaculis non sit. Vbi sum-*  
*mmum deliciarum genus est mori homines, aut, quod*  
*est morte gravius acerbiusq; , lacerari, expleri fe-*  
*rarum alvos humanis carnibus, comedi homines*  
*cum circumstantium letitia, conspicientium volupta-*  
*te. Hoc est non minus pene hominum aspectibus,*  
*quam bestiarum dentibus devorari. Atq; ut hoc*  
*fiat, orbis impendium est. Magna enim cura id*  
*agitur & elaboratur: adveniunt etiam loca abdita,*  
*lustrantur in vii saltus, peraguntur sylvæ inexpli-*  
*cabiles, conscenduntur nubifera Alpes, penetrantur*  
*nivifera valles: & ut devorari possint à feris vi-*  
 L 2 scera



scera hominum, non licet naturam rerum aliquod  
 habere secretum. Porro & Circensia omnia  
 saltim infaniæ & vanitatum fuerunt plena.  
 Atque adeo ita plane sese habuerunt spectacula,  
 quemadmodum sanctissimus ille presbyter Mas-  
 filiensium scripsit: *Quicquid immunditiarum est,*  
*hoc exercetur in theatris: quicquid luxuriarum, in*  
*palæstris: quicquid immoderationum, in circis: quic-*  
*quid furoris, in caveis. Alibi est impudicitia, alibi*  
*lascivia, alibi intemperantia, alibi insania: ubiq̃*  
*Dæmon, imo per singula ludicrorum loca universa*  
*dæmonum monstra.* Eoque prima illa & aurea  
 Christianismi ætas ab hisce spectaculis omni-  
 bus abstinuit, imo in sacri foederis cum Christo  
 ineundi formulam recepit illa: *abrenuncio Dia-*  
*bolo & pompæ ejus: spectacula annumerans*  
*Diaboli Pompæ.* Quomodo eam vocem quo-  
 que Tertullianus, Cyprianus, Chrysofomus,  
 Augustinus, Salvianus & alij sunt interpretati.  
 Hinc sane Isidorus Hispalensis l. 18. Origin. c. 59:  
*Hæc spectacula, inquit, crudelitatis & inspectio*  
*vanitatum, non solum hominum vitiis sed & dæ-*  
*monum jussis instituta sunt. Proinde nihil esse de-*  
 bet



bet Christiano cum Circensi insania, cum impudentia Theatri, cum Amphitheatri crudelitate, cum atrocitate Arena, cum luxuria Ludi. Deum enim negat qui talia praesumit: Fidei Christianae praevaricator effectus, qui id denuo appetit, cui in lavacro jam pridem renunciauit, i. e. Diabolo, pompis & operibus ejus. Ea autem cum fuerint olim spectacula Romana, qui potuerunt ijs interesse adolescentes isthac aetate quae cerea est in vitium flecti? Ut boni sane & innocentes introierint, non potuerunt non corrupta mente exire. *Adulterium discitur*, dicebat recte Cyprianus, dum videtur, & lenocinante ad vitia publica auctoritatis malo, quae pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, revertitur impudica. Vel ut verbis utar Salviani: qui forte ad spectaculum puri venerant, de theatro adulteri revertuntur. Et vero qui evitari haec labes potuit saltem in theatro, omnibus sensibus vitiorum vi occupatis? Bene nimirum idem Salvianus: *Alia crimina singulas sibi ferme in nobis vendicant portiones: ut cogitationes sordidae animum, ut impudici aspectus oculos, ut auditus improbi aures:*



ita ut cum ex his unum aliquod erraverit, reliqua possint carere peccatis: in theatris vero nihil horum reatu vacat, quum & concupiscentiis animus, & auditu aures, & aspectu oculi polluantur. Quæ quidem omnia tam flagitiosa sunt, ut etiam explicare ea quisquam atque eloqui salvo pudore non possit. Enimvero præclare Aristoteles monet, in bene constituta republica prohibendum esse, ne pueri quid illiberale vel audiant vel videant. Quanto majore indiget cura adolescentum ætas? Nec enim puerorum imbecillitas vitiis vel æstimandis vel amandis par est: at adolescentia jam sufficit ijs exercendis. Ut proinde hi longe magis ab ejusmodi peccandi illecebris sint removendi quam pueri. Igitur longe videtur fuisse consultius futurum, si Cæsar omnibus omnino, vel certe saltim scenicis omnibus spectaculis, studiosos adolescentes abstinuisset. Minimum omnium debuisset illos non nisi certo definito tempore ad spectacula admittere. Ad quem modum Theodosius Magnus circumscripsit Judices sive Rectores provinciarum l. 2. C. Theod. de spectaculis.

Verba



Verba Legis sunt: *Nullus omnino Judicium aut Theatralibus ludis, aut Circensium certaminibus, aut Ferarum cursibus vacet, nisi illis tantum diebus, quibus vel in lucem editi, vel Imperii sumus sceptrata sortiti: hisq; ut ante meridiem tantum solemnitati pareant, post epulas vero ad spectaculum redire desistant.* Vtique intra paucos certos dies, & intra pomeridianum tempus (ne antemeridianæ horæ studijs perirent) constringi juvenes & potuissent, & summo cum usu publico privatoque debuissent. Nec enim, permessa spectandi licentia, potuit facile caveri, ne juvenes *spectacula frequentius adirent*: utpote cum illud quidem non perinde facile observatu fuerit magistratibus quibus illa cura commissa erat, præsertim cum spectacula varijs in locis Urbis fuerint instituta.

Similiter in Lege nostra fortassis haud fatis prudenter, juvenes tantum *appetere vulgi intempestiva convivium* prohibentur: cum videatur fuisse magis in rem, illos ab omnibus istis vulgi conviviis arcere. Fuerunt scil. & convivium solemnium tum lascivia & luxu infamia. Id sane vel



88 DISSERTATIO AD L. I. CODIC. THEOD.  
vel ex ijs quæ supra ex Tertulliani apologetico &  
canone sexagesimo Africano produximus pa-  
lam est. Et vero rigidi virtutis sectatores pri-  
mi Christiani epulas publicas illas tanquam  
sanctimonix professionis suæ adversas studiose  
vitaverunt. Quam spuria certe fuerint tum  
festa convivia, discere etiam est ex phaleucis  
quos *epistola undecima l. 8.* Sidonius Apollinaris  
inferuit:

*Hic cum festa dies ciere raucos*

*Cantus ceperit, & vcluptuosam*

*Scurrarum querimoniam crepare. &c.*

Perstrepebant nimirum passim omnia convivia  
lascivis cantibus, non juvenum duntaxat sed  
etiam meretricularum. Primus enim Theodo-  
sius Magnus Cæsar post latam hanc Legem no-  
stram fidicinas aut psaltrias eliminavit, præcla-  
ra illa lege quæ Codicis Theodosiani *l. xv. tit.*  
*de Scenicis* continetur: *Fidicinam nulli liceat vel*  
*emere, vel docere, vel vendere, vel conviviis aut*  
*spectaculis adhibere.* Non deerant conviviis  
porro & thymelici ac pantomimi, *corruptela-*  
*rum disciplina,* quomodo eos eleganter appellat  
Lactan-



Lactantius. Unde graviter cavet in hunc modum canon Laodicenus LIV, qui est Codicis canonum universæ Ecclesiæ, cujus restitutionem Christophoro Justello debemus, centesimus post quinquagesimum octavus: *Quod non oportet sacerdotes aut clericos spectacula aliqua contemplari in nuptiis vel conviviiis, sed antequam thymelici ingrediantur eos fugere & discedere.* Si autem sacerdotibus non fuit fas spectare illa conviviorum ludicra, qui erant ætate adulta & pectore contra vitia roborato, quanto minus ad spectacula illa convivalia admitti debuerunt teneri adolescentes. Præclare & propemodum sancte Juvenalis Sat. XIV:

*Nil dictu fœdum visu ve et a limina tangat  
Intra quæ puer est. Procul hinc. procul inde pu-  
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti. (cellæ  
Maxima debetur puero reverentia.)*

Non autem puero duntaxat sed etiam adolescenti & juveni illa debetur reverentia: imo his maxima debetur, quia omnium facillime corrumpuntur præ pueris. Taceo nunc conviviorum illorum vinolentiam: quæ itidem adolescentibus

M bus



90      *DISSERTATIO AD L. I. CODIC. THEOD.*  
bus ad virtutem instituendis, cane pejus & an-  
gue, quod ajunt, vitanda est. Non urgebo et-  
iam, quod cum convivij interesse licuerit illis  
studiosis, non potuerint, vel certe vix potuerint,  
Censuales cavere, ne juvenes isti *adpeterent vul-  
gi intempestiva convivia*: atque adeo Lex sperato  
effectu caruerit.

Enimvero haud equidem dubito, longe re-  
ctius fuisse consultum moribus juvenum, si vel  
nulla spectacula aut convivia ejusmodi fuissent  
edita, vel saltem ijs omnibus fuisset juventuti in-  
terdictum. Potuisset sane haud difficulter id  
caveri à Censualibus, præsertim si illi liberalium  
artium studiosi habitu aliquo fuissent à reliquo  
numero distincti. Ita sane potuissent facile  
notari & observari, in illa immensæ Urbis infi-  
nita quasi hominum multitudine. Merito sane  
etiam hoc quis desideraverit in nostra Lege, quod  
juvenes illos singulari aliquo vestitu oculis &  
censuræ Censualium non exposuerit, cum ta-  
men vellet eos cum cura observari. Verum de  
hisce fortasse plus satis. Pergendum est in Legis  
nostræ censura.

Sequi-



Sequitur autem in Lege; permitti, ut si quis non ita in Vrbe se gesserit, quemadmodum liberalium rerum dignitas poscat, Primum publice verberibus adficiatur, Secundo navigio superpositus abijciatur Vrbe, Tertio domum redire compellatur. Num vero hæc animadversio non sit justo grauior, vehementer metuo. Publica videlicet verberatio ignominiam addidit. At vero adolescentem ingenuum, ætate tenera, & vitio loci indigne sese gerentem studijs liberalium rerum, statim ignominia afficere, nimis videtur durum. Pro magno peccato dicebat ille paulum supplicij satis est patri. Quamobrem itaque Cæsar intendit pœnas incautæ adolescentiæ peccato, verberationem alias non promerenti? Certe infamem reddere adolescentem, quid aliud est pene quam ad desperationem adigere, & secuturæ vitæ omni præripere ad laudem & gloriam reditum? Quod si solis consociationibus aut turpibus criminibus pœnã ejusmodi dictasset Cæsar, non esset justus dolori aut querelæ locus. At Lex universim in omnẽ qui aliter se gesserit atq; liberalium rerum dignitas exposcit, ita permittit animadver-





92      *DISSERTATIO AD L. I. CODIC. THEOD.*  
tere. Non accuso, quod Lex fontes adolescentes  
Urbe exigat, & domum ad suos remittat. Nec  
vero ferendi erant in Urbe ubi expectatione  
indignos se præbuerant: parentum itaque &  
amicorum severæ disciplinæ merito erant red-  
dendi. Sola verberatio displicet. Notandum ta-  
men, non juberi illam animadversionem sed  
tantum permitti. An fortassis igitur tantummo-  
do in terrorem hæc ita Lex scivit? Non me la-  
tet tamen, Valentinianum Cæsarem nostrum  
fuisse severum & asperum immitemque in pœ-  
nis: docente id ipsum præter alios Ammiano  
Marcellino *l. xxvii c. 15. l. xxix c. 3. & l. xxx c. 27.*  
Ex eodem Marcellino novimus, quo tempore  
lata est Lex nostra, Maximinum Urbicæ anno-  
næ curatorem, hominem crudelem, Olybrio Præ-  
fecto ægrotante, acerrimis pœnis sæviisse in Ro-  
manos cives, & hoc nomine Valentiniano fuisse  
acceptissimum, imo Cæsarem ab illo homine, ad  
statuenda præter morem crudelia supplicia, fu-  
isse quasi efferatum. Prolixe enim sævitiam hu-  
jus Maximini persequutus est Ammianus *l. xxviii*  
*prioribus integris undecim capitibus.* Igitur  
haud



haud injuria forte suspiceris, juvenili nonnullorum petulantia irritatū Maximinum, suggessisse Cæsari isthæc dura, & persuasisse, *ut erat Cæsar acer vitiorum inimicus magis quam severus.* Quicquid hujus sit, verberationem publicam haud facile probaverit quis conscius juvenilis conditionis, ejusque quod ex pœnis expectari debet commodi.

Cæterum nec illud prudens aliquis laudaverit, quod Lex vetet, quenquam Romæ ultra annum ætatis vicesimum studijs dare operam. Nec vero tale quidquam reipubl. usus postulavit, & fuit studiis ipsis maxime adversum. Quid enim præclari in liberalibus studiis præstiteris, si isthac ætate à magistris divellaris? Quid cum primis præstiteris in Juris prudentia addiscenda, jam tum ejus scholas deserere coactus? Fateor equidem, non debuisse studia juvenum fraudi esse provincialibus municipijs, aut eorum obtentu vitari munera necessaria publica. At vero non ea fuit utique omnibus in locis idonearum personarum inopia, ut sine discrimine omnes, abrupto studiorum cursu, tantum viginti annos



94 DISSERTATIO AD L. I. CODIC. THEOD.  
nati debuerint patriæ sese sistere. Imo isthac  
ætate ad munia reipubl. capeffenda plærique  
nondum sunt idonei. Agnovit hoc prudenter  
Ulpianus: cujus verba sunt l. 8. ff. de munerib. &  
honoribus: *Ad rempublicam administrandam ante  
vicesimum quintum annum, vel ad munera, quæ  
non patrimonii sunt, vel honores, admitti minores  
non oportet. denique nec decuriones creantur, vel  
creati suffragium in curia ferunt. Prudenter etiam  
l. II. ff. de Decurionib. & filiis eorum Callistratus  
Jurisconsultus: Non tantum qui teneræ ætatis, sed  
etiam qui grandiores nati sunt, decuriones fieri  
prohibentur. illi quasi inhabiles rempubl. tueri, ad  
tempus excusantur, hi vero in perpetuum amoven-  
tur. Neque enim minores viginti quinque annis  
decuriones alligi nisi ex causa possunt. Jam  
vero munera patrimonialia non profecto in tantum fu-  
erunt vel necessaria reipubl. vel utilia, ut studia, quæ utiq;  
in reip. usum maximum exercentur, debuerint abrumpe-  
re vel sufflaminare. Itaq; consultius profecto fuisset, tan-  
tis per in literis Romæ commorari sinere juvenes rerum  
suarum satagentes, donec à patria reipubl. avocarentur,  
imo vacationem illis dare saltim usque ad annum vice-  
simum*



simum quintum; quemadmodum Beryti degentibus illam indulgere Diocletianus & Maximianus Cæsares: imo potius debuissent illi excusari usque ad annum tricesimum, quem lex Papia, teste Plinio, Bithynis definit ad honores capeffendos. Certe non urgente ulla patriæ necessitate, juvenes tenera a deo ætate etiam *invitos* à studijs abrumperè, est reapse studia ipsa quasi in herba suffocare, idq; cum insigni reipubl. detrimento. Arguit profecto hæc res suggestam Cæsari Legem, ab homine nulla solida eruditione instructo. Quem ut Maximinum illum fuisse, etiam hinc liceat suspicari: utpote qui, teste Ammiano, non nisi *post mediocre studium liberalium doctrinarum defensorem egerit caussarum ignobilem.*

Quum hæc vero ita sese habeant, non difficulter quoque apparet, haud fuisse opus illa curiosa Censualium diligentia, quam adhibere debuerunt per singulos menses, in deferendis illorum nominibus, qui exacto vicesimo anno in patriam à Præfecto Urbis fuerunt remittendi. Potuissent nimirum juvenes gnavi longe rectius tantisper Romæ relinqui, donec patriæ necessitatibus fuissent avocati. Nihilominus tamen ex usu fuit publico, Urbis Præfecto *per singulos menses* indicari, qui *vel unde Romam venissent.* Nec enim absque hoc indicio Præfectus Urbis curam illorum potuit suscipere. Ut autem susciperet, interfuit rei publicæ pariter & privatim ipso-  
rummet



rummet juvenum, quum in omnes Romæ commo-  
rantes jurisdictio fuerit penes Præfectum, & sub oculis  
quasi degere magnorum hominum, ingens sit juventuti  
ad virtutem calcar.

Quam utilis aut noxia porro fuerit illa exceptio eo-  
rum *qui corporatis erant adjuncti*, non licet pronunciare:  
quum mentem Legis videar mihi hac in re non satis af-  
sequutus. Vacat tamen forte dubio, neutiquam cor-  
poratis merito adjunctos Roma fuisse pellendos, cum  
& ipsi fuerint in censu servorum Urbis publicorum, per-  
inde ut Corporati Urbicij alij, pistores, suarij, vini fusce-  
ptores, collegiati, chartopratae & nummularij. Forte  
tamen par fuisset, solvere illa servitute omnem liberali-  
bus studijs probe institutum corporatum: atque adeo  
dare libertatem liberaliter imbutis atque erectis animis:  
magno sane ad virtutem incitamento.

Cum primis vero illud laudes in Lege nostra, quod  
Cæsar jussit, per ipsum Urbis Præfectum quotannis sibi  
significari & ætatem & merita juvenum. Iam tum supra  
videlicet ostendimus, quam sit publice privatimque uti-  
le, si ipsi illi qui summa in republ. sunt potestate, ha-  
beant civium suorum accuratam notitiam. Id ipsum au-  
tem quam commodissime potuit Cæsari innotescere, an-  
nua illa juvenum omnium recensione, ab ipso facta Vr-  
bis Præfecto. Nec vero opus fuit *per singulos menses* id fi-  
eri



eri perinde ac que apud Præfectum Urbis; utpote quum satis sit, si Principi tantum summa quæque innotescant, & annuo demum spacio queat singulorum juvenum industria & profectus in reipubl. usum aestimari. Non est quod de summa utilitate extremæ hujus Legis nostræ clausulæ prolixius differamus, quum jam ante illam multis laudaverimus, & actum agere vetet instituta brevitatis.

Et vero tempus est ut ad id, quod postremo in Lege nostra venit observandum, de causa quam efficientem dicimus, aggrediamur. Expediendos scil. illos quos enumeravimus actus commisit Cæsar, alios Magistro Censuum, alios Censualibus, alios Urbis Præfecto; qui proinde causa sunt efficiens actuum à Lege præscriptorum: bene vero an secus omnia hæc illis commiserit, nondum constat. Constare tamen haud adeo difficulter etiam id poterit, comparatione aliqua instituta, formam finemque actuum illorum, ut & studiosam juventutem inter, ac ipsos illos quibus hæc sunt commissa: prout in omni accurato examine effectricis causæ fieri debere, jam tum ante professi sumus.

Atq; apud *Magistrum Censuum* quidem & potuit & debuit merito peregre adventantium annotatio fieri. Huic enim curæ fuerunt Tabulæ censuales. Imo non potuere juvenes alibi citra reipubl. aliquam confusionem in tabulas referri: præsertim cum suo tempore debuerint patriæ reddi & muneribus provincialibus

N

bus



98 *DISSERTATIO AD L. I. CODIC. THEOD.*  
bus exhiberi: quod absque auctoritate summi alicujus  
magistratus præstari non potuit. Nihil profecto obstat,  
quominus apud Magistrum census adventantes juvenes  
potuerint annotari. Nec par fuisset, Iudicum sive  
Rectorum provincialium testimonia, tradi viro mino-  
ris dignitatis quam erat Magister census: nec tabulis  
censualibus alibi confectis sua peræque fides constitif-  
set. Certe illi scopo, qui propositus fuit annotationi  
publicæ, obtinendo omnium maxime fuit idonea Ma-  
gistri census dignitas atque existimatio. Fuit autem  
census pars olim professio vitæ aut *studiorum*, quibus  
*potissimum quis voluit operam navare*. Igitur & illa  
quam commodissime potuit simul institui apud Cen-  
sus Magistrum. Ne nunc dicam, quod viri adeo ma-  
gni auctoritas, quemvis ingenuum adolescentem non  
potuerit non solito magis memorem reddere factæ  
professionis suæ: quo scilicet, caveret, ne virum ita ma-  
gnum professionis conscium malis moribus aut socor-  
dia falleret atque offenderet.

Cæterum an perinde prudenter *Censualibus* fuerit  
injuncta inquisitio in mores ac diligentiam studio-  
rum, vehementer dubito. Erant nimirum illi multis  
aliis negotijs occupatissimi, nec literarum studijs dediti,  
aut etiam illis imbuti. Itaque per negotia quoque il-  
lis non ita licuit huic vacare inspectioni: etsi ad id fuissent  
idonei



idonei. Imperitia vero literarum eosdem ad id ineptos reddidit. Qui enim homo rudis studiorum merita, aut profectus exploraverit? Videtur sane, longe commodius curam illam potuisse committi ipsis Magistris sive Doctoribus: utpote qui omnium aptissime potuerint attendere ad diligentiam singulorum auditorum, & de eorum in literis profectu judicare. Quod si & horum potuerit forte suspecta esse fides (sunt enim, fateor, sæpenumero illi ipsis suis auditoribus obnoxij, & debito proinde in eos indulgentiores) debuisset saltim summa hujus rei curatio committi alicui, moribus & dignitate conspicuo seni aut senectuti proximo. Quemadmodum videlicet, prudentissimo Lycurgi instituto, communi educationi juventutis præfectus fuit ὁ πρῶτος νόμος, vir in republica eximius, & re probe gesta summo mox magistratui admovendus, quod nos Xenophon docet opusculo de Republ. Lacedæmoniorum. Tanta certe est utilitas probæ educationis juvenilis, uti quam maxime ex usu sit reipublicæ, ejus curam viris magnis & perspectæ probitatis commendare. Imo si juventutis numerus sit major, ex usu est, in illam curam integrum aliquem hominem impendere. Quod proinde & Romæ debuisset fieri, cum ingens ibi fuerit studiosæ juventutis copia; præsertim quum illa ijs maxime studijs navaret operam, quibus in judicijs & republ. administranda indigemus. Nec vero



omnia isthæc ad Præfectum Urbis, virum rebus alijs longe occupatissimum potuerunt deferri, ut non plurima negligerentur. Minime omnium tantæ curationi Censuales fuere pares; præsertim cum ipsi nulla valuerint conspicua dignitate, sed inter officarios sive ministros fuerint computati.

Jurisdictionem omnem in juvenes nostros *Præfecto Urbis* esse commissam, non est quod improbemus. Vtiq; enim, si nihil aliud obstat, unice ex usu est publico, ut uniuscujusque civitatis una sit summa jurisdictio, atque unum summum tribunal. Scimus quidem, nostris seculis passim terrarum ita vivi, ut jurisdictio Academica non sit penes oppidi cujusque rectores ac magistratus; idque jam obtinere ab ævo usque Friderici I Cæsaris, postquam ille condidit quam dicimus authenticam, *Habita C. ne filius pro patre.* At vero institutum hoc ita est, quod plerique oppidanorum magistratus rudes tum essent literarum, vel homines viliores, ac proinde artium studiosis, iisque sæpe magno loco natis, iniqui & graves. Neque vero ferendum est, ut injuriæ exponantur hominum illiberalium ingenui juvenes, quos studiorum amor in dissita à patria loca propellit. *Quis enim eorum non misereatur* (verba sunt Cæsaris Friderici) *qui amore scientiæ exules, facti de divitibus pauperes, vitam suam multis periculis exponunt, & à vilissimis sæpe hominibus*



minibus (quod graviter ferendum est) corporales injurias sine caussa perferunt? Quam vero Præfecti Urbis Romæ longe fuit alia conditio, ab ea magistratum istorum oppidanorum! Quanta ille dignitate semper, quanta plerumque virtute etiam ac doctrina valuit! Certe Urbicum Præfectum cum oppidanis magistratibus nostris contendere, fere est muscam cum elephanto committere. Et tamen hodieque, ubi locorum nec illa vilitas est hominum qui magistratu funguntur, nec illa ruditas (ut in civitatibus majoribus) jurisdictio in scholasticos satis probe ab urbano magistratu instituitur. Certe supervacuum arbitror, multis ostendere, quam profit reipubl. ut singulis locis unus præsit cum imperio & omni jurisdictione, nisi aliud quid vetet: eoque non etiam est, quur nunc quidem addamus verbum, in defensionem ejus quod Præfecto Urbis fuerit illa etiam in scholasticos jurisdictio concedita.

ATQVE ita jam à nobis etiam Politica Legis nostræ censura atque interpretatio est instituta. Neque enim arbitror quidquam in ea superesse, dignum expensione, quod usum in republica obtineat. Palam vero jam est, non quidem illam omni ex parte vacare suis nævis, attamen merito laude esse dignissimam: cum propter multa præclara instituta, tum præcipue ob conatum illum continendi in officio studiosam juventutem. Recte



102 *DISSERTATIO AD L. I. CODIC. THEOD.*  
enim Plato: non potest de diviniore negotio homo insti-  
tuere deliberationem, atq; de recta pueri juvenisq; institutione,  
qui bonus patrie civis aliquando debet esse. Imo (ut Ci-  
ceronis verba mutuemur) nullum munus adferre reipubl.  
majus meliusve possumus, quam si docemus & erudimus ju-  
ventutem, his praesertim moribus & temporibus, quibus ita  
prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda atq; coercenda sit.  
Pessime profecto meretur de republ. Legislator, qui hanc  
curam seponit. Ut proinde nec Tribonianum forte  
quis excusaverit, quod non tantum ex Codice Iustinia-  
neo Legem hanc rejecerit, sed nec aliam ullam, de proba-  
juventutis scholasticae educatione, in vastum illud Le-  
gum corpus retulerit. Nec enim quae de nominibus  
juris studiosorum sciscuntur, aut quae traduntur de ludis  
petulantis adolescentiae literariae coercendis,  
constit. omnem reipubl. illam laudem  
promerentur.

**F I N I S.**



# IOACHIMVS HOPPERVS ICTVS

Lib. iv de vera jurisprudentia tit. 23. de  
politica juris ac legum inter-  
pretatione.

*S. Hanc igitur Politicam interpretationem quamnam esse dicis? G. Partem quamdam Nomotheticæ, de qua supra expositum est: & ideo quæ de eajam diximus, multo magis in ipsa Nomothetice locum habent. S. in quo autem consistit? G. In duobus. S. Quod est primum? G. ut certa via ac ratione dijudices, utrum leges latæ recte se habeant nec ne: idq; tum quidem secundum substantiam, quo ad res: tum autem secundum formam; tum vero secundum naturalia, quo ad res & personas, prout supra est expositum. Atque hæc quidem est interpretatio, quæ à primis principiis repetita hominem vere prudentem & politicum efficit, & ad rem publicam regendam ac gubernandam idoneum reddit. S. Quod secundum? G. Ut si inveniatur Legem non recte se habere, despicias ecquid mutanda sit nec ne: nam sæpe fit ut quædam sint in republ. non optima, quæ tamen non sunt mutanda, nempe cum plus periculi & mali in mutatione est, quam in ipsa re boni, ut supra latius est expositum.*





QNTA 303

QNTA





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

Blue 3/Color Black


Cyan White

Green

Yellow Magenta

Red

19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1



Excudat H B N I N  
 A C H I M I A L T  
 C I O I O  
 H R E M E S  
 2 2 N D I U Z T I H E R  
 O R  
 G O P I C I S T H E  
 A D T R O  
 D I S S E R  
 H E R M A N N T

9  
 &  
 V  
 T  
 p  
 J

